

05 A 2454

05

A

2454



I. N. J.
EVANGELIUM S. MARCI

Ab
H. GROTII CORRUPTELIS ATQUE ERRORIBUS
DISPUTATIONE PUBLICA
VINDICATUM,

Sub Auspiciis
VIRI

Summè-Reverendi, Magnifici, Amplissimi, Excellentissimiq;
DNI. ABRAHAMI CALOVII,

Doctoris Theologi Consummatissimi, Prof. Publ. Primar. Celeber-
rimi, Consistorii Ecclesiastici Assessoris Gravissimi, Ecclesiæ Witteb.
Pastoris Vigilantissimi, Circuliq; Electoralis Saxonici Super-
intendentis Generalis Amplis-

simi,

DNI. PATRONI, PRÆCEPTORIS atq; AFFINIS,
PARENTIS loco habendi,

Proponit

M. MICHAEL BORN / Lips.

Ad d. XXVII. Sept. 1707 LXX.

H. L. Q. C.

WITTEBERGÆ, Literis MICHAELIS MEYERI.



05 A 2454





I. N. J.

ANNOTATA ANTI-GROTIANA

AD

EVANGELIUM S. MARCI.

AD PRÆLOQUIUM GROTII.

DISPUTATIO PUBLICA
RESPONDENTE
M. MICHAELE
W. D. N. W.
LIPS. MISEN.

M Arcum Evangelistam natione *Judeum* facit Grotius, & distingvit eum à *Johanne Marco* in Actis, & Paulinis Epistolis commemorato: neq; aliquem è numero *LXX. discipulorum* esse vult; Evangelium verò ejus *Petro* tribuit; & ex ejus relatione consignatum dicit. *Judeum* fuisse facile largiri possumus: quamvis nomen *Marci* Ebraeum non sit: quod cognomen saltem *Evangelista* fuisse, temerè suspicatur, quum semper ut proprium nomen usurpetur, secus atq; de altero Marco observare est, qui *Johannes* nomine proprio dictus *Marcus* cognominatus est. Æquè vanum est, quod putat Marcum Ebraeo nomine *Mardocheum* vocatum esse. Quod autem locutionem *Marci* evincere dicit, ipsum *Judeum* fuisse & ἐβραϊστῆς magis, quàm ἐδιδάκτου, quamquam sermonis utriusq; mediocriter gnarum, id nec firmo stat talo, quia sancti viri dono lingvarum cœlitus instructi alio idiomate uti potuère, quàm nativo, prouti visum Spiritui Sancto, qui ipsis dedit eloqui, ut voluit, & quæ voluit, adeoq; nec satis pium hoc est judicium, quòd locutio *autorem* arguat sermonis utriusq; mediocriter gnarum. Hic enim contemptus in ipsum Spiritum S. ceu in principalem redundat autorem, cujus inspiratione scripsit *Evangelista*, II. Pet. I, 21. II. Tim. III. 16. quem ei verba dictitasse dubitandum non est. Illum autem lingvarum omnium autorem hujus, vel illius lingvæ mediocriter saltem gnarum esse, salvâ pietate dici nequit.

An Marcus cognomen tantum sit Evangelista?

An sit Mardocheus? De sermone Marci.

A

Utrum

AD EVANGELIUM

**De Jobanne
Marco.**

Utrum Marcus noster idem sit, qui *Jobannes Marcus* cognominatus, variant sententiarum. Nonnulli enim eundem esse putant, ut *Theophylactus, Euthymius, Sixtus Senensis*, quibus *Centuriatores Magdeburgenses, B. Winkelmanus*, & alii assurgunt. Vero tamen similis est, illos diversos esse: quia ille, qui in *Actis c. XXII, 12.* & à Paulo *Col. IV, 10. II. Tim. IV, 11.* commemoratur *Barnabæ consobrinus*, Paulo & *Barnabæ* magis adhæsit, quam *Petro*, cui adhæsisse *Evangelistam Eusebius l. II. Hist. Eccl. c. 15.* & *Hieronymus in Catal. Script. Eccl.* testantur, à quo etiam *Filius* vocatur *I. Pet. V. 13.* quod de *Evangelistâ Hieronymus in Esa. LXV. Theodoret. & Oecumen.* intelligunt. Adde quod *Jobannes* ille cognomento tantum *Marcus* dictus sit, noster autem nunquam alio quam *Marci* nomine vocetur.

**An fuerit è
LXX. disci-
pulis.**

E. LXX. tamen discipulis *Evangelistam* non fuisse, minus firmo argumento probant Pontificii, quod *Petri dicatur Filius*: unde *conversum eundem à Petro post Christi mortem* colligunt: quia *filius* poterat dici *Petri*, etsi non *conversus* ab ipso, & annon *converti* potuit etiam ante *passionem Christi à Petro?* *Luc. IX. 1.* Quid? quod *Grotius* per *Marcum* illum, qui *filius Petri* dicitur *I. Pet. V. 13.* non *Evangelistam*, sed *Jobannem Marcum* intelligat. Quæ etiam *Nicephori l. II. Hist. Eccl. c. 15.* est sententia. Quem tamen unum fuisse ex *LXX. Christi discipulis* negare non vult *Grotius*. Quod autem *Ireneum* putat, si de *Marco nostro antiquitus idem creditum* fuisset, quod unus è *LXX. Christi discipulis fuerit*, illud non taciturum fuisse, siquidem in *æuro Jacobi Scriptoris ad tuendam contra sectarios libri auctoritatem maximum habitura fuerit momentum*, id aliquam speciem habet, satis tamen firmum non est. Quia testimonium negativum nihil solidè probat. *Origenes* certè, *Epiphanius Heres: LI. Dorothæus* *Marcum* è numero *LXX. discipulorum Christi* fuisse, dicunt. *Papia* autem contrarium testimonium, quod nempe à *Marco Dominus auditus non sit, sed scripta ab ipso sint, quæ à Petro audita memoria suggesterat*, ceu viri minimè probatæ fidei, nullius est momenti, neq; auctoritati *Canonicæ* hujus scripti admodum convenit. Nam non quæ *memoria è Petri relatione*, sed quæ *Spiritus S. suggestit, Marcum scrip-*

**An è rela-
tione Petri
scripserit.**

S. MARCI. c.I.

scripsisse oportet, si autor sit habendus Canonicus, *II. Tim. III, 16.*
II Pet. I, 11. Ideò temerè in hoc imprimis sequutus est Papiam
 Grotius, nec nisi cum grano salis accipienda illa sunt, cum à Pe-
 tro nonnulli habuisse Marcum quæ scripsit, asserunt, & cum *Tertu-*
lianus Marci Evangelium vocatum esse Petri dicit, ne sc. negetur
 Divinâ inspiratione scriptum. *Ireneus* sanè l. III. c. I. videtur as-
 serere post Petri & Pauli ἐξοδὸν vel excessum Marcum Evangelium
 suum scripsisse: nisi cum Grotio malis veterem Codicem sequi, in
 quo pro τὰ τῶν ἐξοδὸν est τὰ τῶν ἔκδοσιν quod sc. post Editionem
 Evangelii à Mattheo conscripti, scripserit. Cæteroquin è Clemen-
 tis *ἑπορευόμενον* l. VI. probat *Hieronymus in Catal.* quòd liber hic
 vivente Petro à Marco scriptus sit; & perhibet *Eusebius l. III. c. 15.*
Petrum Evangelium hoc Ecclesiis legendum suâ autoritate con-
firmasse.

Postremò de Idiomate, quo scriptum est Marci Evan- *De idiomate*
 gelium, rectè observat Grotius, *Græcè scripsisse Marcum.* *hujus Scripti*
Quamquam in gratiam præcipuè Romanorum (quod ab Eu- *originali.*
sebio & Hieronymo habet) sicut & Paulus ad Romanos Græcâ
scripsit linguâ, quia Judei, qui Romæ agebant, pleriq; Latini sermonis
ignari longâ per Asiam eò Græciam habitatione, Græcam linguam di-
dicerant, & Romanorum vix quisquam erat, non Græcè intelligens.
Quæ contra Baronium in annal. T. I. ad ann. 45. & Tirinum præf.
ad Marcum notanda: utpote qui Marcum Latina Linguâ scripsisse
volunt, quod Latinum exemplar postmodum ab ipso Petro in Græcam
linguâ Aquilejæ transversum esse Tirinus è traditione, nescio quâ,
fabulatur: Idq; Venetiis asseruari, ait: quod tamen non de Græco,
sed Latino primogenio exemplari venditat Baronius. Sed Græcum
textum originale esse, Tom. I. Syst. Theol. ostendimus, neq; ul-
lus est liber sacer, qui à Sp. S. vel amanuensi ejus, Prophetâ & Apo-
stolo eodem & originali conscriptus linguâ sit, & in aliam trans-
fusus: nullus deniq; in N. T. liber, qui non Græcâ linguâ in ori-
ginali scriptus.

CAPUT I.

✠. I. ἡς τὸ θεῶν

Prefari hoc Marcum in ipso Exordio, tanti cognominis veritatem

A 2

sequen-

AD EVANGELIUM.

*Quomodo
Marcus ab
breviator
Matthæi sit?*

sequentium rerum magnitudine probaturum, rectè observat Grotius. At quòd usus fuerit Marcus Matthæi Evangelio è collatione apertum esse minus rectè asserit: nam nec opus habuit eodem uti, nec verisimile est, quòd eodem usus sit; quum non sequi alios, sed quæ suggererat S. S. scribere debuerit, ideoq; quòd ab Augustino abbreviator Matthæi dicitur, dextrè intelligendum: non quòd præ manibus Matthæum habuerit, sed quòd in nonnullis succinctius tradat, quæ Matthæus fusius exequitur. & observat Flacius præfat. in Marc. ex aliorum etiam Doctorum sententiâ, quam ipsa lectio confirmat, quòd Marcus nec ordinem eundem per omnia sequatur rerum, quem Matthæus, nec solum illa narret, quæ ipse, sed etiam quedam quæ in Matthæo prorsus non habeantur, quedam vero quæ in illo habentur copiosus recitet: quòd etiam multas, easq; maximi momenti historias illius planè non attingat. Undè mirari opus non habuit Grotius, quòd ea, quæ ad nativitatem Christi pertinent, cum à Matthæo tradita sint, præterierit. Illa certè causa, quam reddit Grotius, vana & prophana est: quod & hominum & temporum ratio à paganismo facile tale quid imaginaturi erant, quæ apud ipsos de Alcmena, Leda, Danaë, Iliâ narrabatur. Et similibus de causis Apostolos tum in orationibus, tum in Epistolis vix ejus rei meminisse, æquè futile atq; ineptum, imò prophanum est. In gratiam enim profanorum commentorum res sacras omittere voluisse S. Scriptores, utut creditu necessarias, religio nobis est credere.

*An textus
receptus cor-
ruptus?*

ψ. 2. ως γέγραπται ἐν ἡσυχία τῷ πνεύματι.

Audax textus Originalis recepti, qui habet ἐν οἷς πνεύματι immutatio. Quod enim ad Codicum Græcorum auctoritatem provocat, pauci illi admodum sunt, & à Beza vix tres observati, cæteris omnibus magno consensu receptam lectionem retinentibus: Neq; Irenei citatio, cujus locus æquè facile corrumpi potuit, sufficiens est. Syri autem, Latini, & Arabis versiones recentiores sunt, nec textui authentico præjudicare possunt. Quòd verò Porphyrius ita adduxerit locum, & quòd in responsione ad objectionem Porphyrii recepta lectio observata non sit, particularem solum lectionem probat. Et favet omninò receptæ lectioni con-

contextus: in quo non *Esaia* tantum, sed etiam *Malachia* testimonium adducitur: & quod præcipue observandum, *Malachia* locus præmittitur. Non consonat ergo textui lectio illa: *Sicut scriptum est in Prophetâ Esaiâ dicente, Ecce ego mitto angelum meum*: id enim nusquam à Prophetâ Esaiâ dictum. Vanum verò est, quod ait Grotius, *Marcum insuper habuisse Malachiam, quod Esaiâ auctoritas esset illustrior, nec quicquam esset in verbis Malachia, cujus non sententia & apud Esaiam extaret.* Nam Prophetæ omnes, quia æquè Θεοπνευστοι æquè illustres sunt testes: neq; apud Esaiam de *angeli missione* quicquam: Sed de *voce clamantis in deserto.*

Ἐ. 4. κηρύσσων β' πλῆθος μετανοίας εἰς ἀφεσιν αἰματηρῶν.

Quæ hîc disputat Grotius de interpretatione vocis μετανοίας, utrum *internam conversionem*, & de ἀφεσιν, utrum *veram remissionem peccatorum inferant*? retractari non merentur. Procedit ex hypothesi falsâ, quasi non ita plenè olim vel *conversio* præscripta, vel *remissio peccatorum* tradita sit: unde etiam ab ipso Johanne neutrum plenè atq; enucleatè expositum esse, sed τὴν μετανοίαν delineatam in suis rudimentis καὶ ὡς ἐν τύπῳ, tum *malorum operum fugâ*, tum *quadam bonorum inchoatione* Luc. III, 11. *remissionem* quoq; *peccatorum* descriptam *immunitate ab ira divinâ* Matth. III, 7. At quomodo dubitari potest, Prophetas ad *veram conversionem* revocasse eos, qui fidei ipsorum crediti, aut *veram peccatorum remissionem* annunciasse? Dogma hoc Pelagio-Socinianum aliàs profligatum est. Non solum rudimenta τῆς μετανοίας tradere, aut eam ὡς ἐν τύπῳ delineare debuit Johannes *præco pœnitentia*, quia monuit μετανοεῖτε, etiam quæ ad μετανοίας pertinent, tradere debuit: quæ non consistit in *malorum operum fugâ*, & *bonorum studio*, sed in *contritione & fide in Christum*, cujus consequentia sunt *bona opera*, ceu *fructus pœnitentia* Matth. III, 8. Fructus enim non constituunt rem, sed consequuntur eandem. Jam nec quæ ad peccatorum agnitionem, veramq; contritionem faciunt, nec quæ ad fidem in Christum, neglexit Johannes, neq; vi testimoniorum horum Prophetico-rum *Esaia*, & *Malachia* negligere debuit. Remissione in etiâ peccatorum

AD EVANGELIUM

torum plenè tradidit, non solùm *immunitatem ab irâ divinâ* Luc. I 77. ut è concionibus ejus *Joh. I. & III.* constat. Nec deniq; ideò *præcursor Christi* dicitur, quòd viam ipsi parare debuit, quòd *consummatam cognitionem pœnitentiæ, & remissionis peccatorum à Christo petendam esse, docere debuerit, & ad ejus Magisterium suos relegare, accepturos ejus beneficio non tantùm doctrinam omnibus suis partibus perfectissimam, sed & Spiritum illuminationis, fortitudinis atq; constantiæ*: uti Socinianorum more Grotius: nam nullam aliam doctrinam Christus tradidit, quàm Johannes, vel etiam Prophetæ in V. T. quæ omnibus temporibus perfecta esse debuit, ac perfecta fuit, *II. Tim. III. 15. 16. 17.* neq; destituti fuère vel Johannis vel Prophetarum filii & discipuli Spiritu illuminationis, aut fortitudinis ac constantiæ: quo omnibus temporibus eguète fideles, & instructi sunt divinitus. Ideò verò præcursor Domini *viam Domini præparans* dicitur Proto-baptista, quia Jesum Nazarenum, cui præire debuit, docere debebat esse Messiam, mundo promissum, eumq; digito demonstrare, & ut fides ipsi haberetur, testari: quemadmodum Johannes docet *c: I. 7.* quod etiam ab ipso sedulò factum, ne sc. vel de *Messia adventu* dubitaretur, vel alius pro Messia, hoc repudiatò, susciperetur.

ἐν σοὶ ἐυδούησα.

Ita Syrus & Latinus & codices Græci aliquot. quod alii habent *ἐν ω* ex Matthæo est.

Cur verò recepta lectio ob unum atq; alterum variantem Codicem deseritur, ac *Syri & Latini* Interpp. translatio ipsi fonti præfertur? Et unde id constat, quod voculæ *ἐν ω* è Matthæo huc traductæ sint? Ob vanas ejusmodi suspiciones textum, consonantibus plerisq; exemplaribus, immutare nobis religio est. Frequens est apud Ebræos personæ mutatio.

ψ. 12. καὶ ἐυ'ύς.

Commodè id exponitur, *non multò post*: siquidem dies unus aut alter intercesserit *Joh. I. 29.* neq; inusitatum est, ut *ἐυδύς* ita usurpetur, ut *Joh. XIII. 32.* *ἐκβαλλε* autem minus rectè explicatur *jubet discedere*. Cur enim non retinenda propria verbi significatio, aut per *ἀγειν* explicandum, uti accipitur *Joh. X, 4.* Spiritus enim

enim S. non minus est agere ac ducere, quam jubere, & impellere. Apud Matthæum redditur ἀνήχθη. IV, 1. Non autem est impulsus violentus, sed stylo Hellenistarum validus tantum & potens, cum verbum hoc respondeat verbo מִשָּׁח apud LXX. Ex. XII, 33. Pf. XLIII, 3. Conf. Matth. VII, 4. s. c. IX. 25. 38. c. XIII, 53. uti verbum, quod Syrus adhibet ܦܝܢ & ejicere significat, & emittere.

ψ. 15. πιστεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ.

Vulgatus reddidit, *credite Evangelio*. Drusius *credere DEO, & in DEUM* idem esse vult: Sed quamvis usus illarum præpositionum in idem quandoq; recidat, tamen per se diversæ significationis sunt, cum *credere alicui* sit *fidem ei habere*, & *assensum* tantum exprimat: *credere autem in aliquem* sit *fiduciam in eum collocare*: quod hîc non incommodè observatum à Grotio: *Verum est Hellenistas ἐν & εἰς post πιστεύειν eodem sensu usurpare. At quod ΠΝΗ cum & septuaginta & Apostoli sine præpositione per Dativum interdum transferunt quasi sit ΠΝΗ cum ἡ, id non tam est ex vocum proprietate, quam quia interdum res ipsa efficit, ut in idem recidat utraq; locutio, quippe ubi de promissore aut promissione agitur. Alioqui, ut rectè notant Hebræi ΠΝΗ cum ἡ est fidem habere alicui personæ aut dicto, ΠΝΗ cum & est in aliquo fiduciam ponere. Ita πιστεύειν εὐαγγελίῳ esset credere vera esse quæ dicebantur, quomodo כִּי יִשְׁמַע לַיהוָה נְהָא dicitur I. Reg. X, 7. At πιστεύειν εἰς τὸ εὐαγγέλιον sive ἐν τῷ εὐαγγελίῳ est in eâ annunciatione spem suam locare quomodo Psal. CXXIX, 66. dicitur יִתְּנוּהָ בְּיָמֵינוּ, ubi tamen LXX. ponunt ταῖς ἐν ἰσραὴλ σὺ ἐπίστευσα, nimirum quia ut dixi res eodem recidit. Quare & vetus Latinus interpret hoc loco discrimen neglexit, alibi observatum.*

ψ. 21. τοῖς σαββάσι.

Et si *singulare σαββα* in usu non sit, adeoq; *plurale significationem singularis habeat*, quod Grotius Matth. XXII. 1. Act. XIII, 14. ad Matth. XII, 1. confirmavit, hîc tamen non immeritò videtur *pluralis numerus* adhibitus, quum dici potuisset τῷ σαββάτῳ ἢ σαββάτῳ, ut nempe innueretur consuetudo, quomodo in Sabbatis docere solitus fuerit, quum neq; in illo tantum Sabbato docuerit, & calumniam Sabbati contemti à Christo arceat Evangelista.

AD EVANGELIUM

lista. Quia ita sanctificari debebat Sabbathum. Conf. *Lev. XXIII, 4. Luc. IV, 6. 31 c. XIII, 10. Act. XIII, 7. c. XV, 21. c. XVII, 2. c. XIX, 4.*

ψ. 24. τί ἐμῶν καὶ σοὶ.

Ex Ebraëâ loqvendi consuetudine id explicat Grotius *ad Matth. VIII, 29. cur nobis molestiam exhibes, è II. Sam. X. 10. & II. Par. XXXI, 21. Iôel. III. 4* Plenius tamen explicatur ea Phrasis à B. Chemnitio nostro in Harm. c. XXXVII. *Quid cause habes, aut quid juris tibi sumis contra nos? Quare nos invadis, & regnum nostrum perturbas? cures quæ tua sunt, & nos sine molestiâ missos facias: Habes tu tuum regnum, relinqueas nobis nostrum: additâ doctrinâ hodiè perquam necessariâ: Observetur hoc diligenter: diabolus velle tolerare doctrinam de sancto DEI, & quidem ipsum hanc vocem sonare, si modo sua in pace retinere possit. Novi, inquit, & ipse fateor, te esse sanctum DEI: tantum missos nos facias in nostro regno. Illâ enim commendatione voluit demon lasum delinire, ut ab expulsionem ejus abstineret. Hæc diabolica machinatio multa habet exempla, præsertim in conciliationibus religionum. Retineatis sanè, inquit, & sonetis puram doctrinam, tantum adversariam partem missam facite, quid nobis & vobis; curetis vestram religionem: non exagitetis nostram. &c:*

ἦλθες ἀπολέσαι ἡμᾶς.)

Percunctativè legendum puto, ut apud Matthæum: ἦλθες ὥδε πρὸς καί τῃ βασιλεύσαι ἡμᾶς; Neq; verò aliud hic ἀπολέσαι quàm βασιλεύσαι, ut in Comœdiis *Di te perduint*. Pro tormento est impuro spiritui quoties malefaciendi potestas ipsi adimitur. Hoc est mittere eis ἄβυσσον, *Luc. VIII, 31*. Contrà cum Dæmoni ad vexandos homines fræna laxantur, dicitur aperiri ἄβυσσος, ut in Apocalypsi. Ad hoc ingenium accedunt homines quidam, in quos illud quadrat:

Et si non aliqua nocuisses mortuus esses.

Placuit etiam *Balduino Walæo* hæc interpretatio: sed causa non est, cur à proprio vocum sensu discedamus. Notum enim est, quid sit ἀπολέσαι, quid βασιλεύσαι. Rectius ergò hic B. Chem-

Chemnitius: Perditio illa intelligenda est [1.] de destructione regni Diaboli, Luc. XI, v. 22. & de dissolutione operum ejus. [2.] de finali damnatione, quando in abyssum mittentur, Luc. VIII, v. 31. Matth. XXV, v. 41. Chrysostronus utitur hac similitudine, quod Diabolus sit, sicut servus fugitivus, qui post multum temporis forte incidens in conspectum heri sui, nihil aliud, quam de verberibus & tormentis cogitare potest.

ὁ ἀγιος θεός.

Messias Danieli dictus קרש קרש interpretate etiam Abenesdra. Idem est quod ὁ θεός in exclamatione alterius dæmonis Matth. VIII, 29. Apud Lucam IV, 41. dæmones exclamant ὅτι σὺ εἶ ὁ χριστός ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ.

Non sunt idem ὁ ἀγιος θεός & ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ. Hoc enim nomen personæ, illud officii est: altero genemtio à Patre, altero sanctificatio & missio à Patre indigitatur.

ψ. 26. σπᾶργξαν.

Σπᾶργξος inter alia Græci usurpant pro convulsione quæ ασμος alioqui frequentius dicitur: Neque aliud hic puto intelligi. Solent enim dæmoniaci nervorum convulsiones perpeti: quas sequitur oris despumatio, Luc. IX, 39. & hic noster infra IX, 20. ubi verbum idem est. Atque eo magis hoc loco hæc interpretatio admittenda est, quia vexatio ista, sicut iracundiam dæmonis ostendit, ita transiit sine corporis noxâ, ut Lucas docet IV, 35.

Major verbi hujus est ἐκθρασις, quam evolvit probè B. Chemnitius noster: Marcus, inquit, utitur valdè vehementiori verbo ασπιτεν, quod de convulsionibus Satana etiam usurpatur, Marci IX, v. 26. & Luc. IV, v. 47. Significat autem propriè unguibus lacerare. Et II. Reg. XXII. v. 8. Græci ita reddiderunt verbum σπᾶρξ quod significat convulsionem montium, & collisionem fluctuum maris. Et ita Luc. IX, v. 39. parens dicit: Convellit ipsum cum spumâ. Valdè atrox itaque fuit convulsio. Lucas addit, quod dæmonium miserum obsessum elevatum projecit usque in me-

B

dium

AD EVANGELIUM

dium Synagogæ. *Gestus igitur Diaboli, cum violentiâ imperii Christi, contra voluntatem suam, exire compelleretur, Evangelista describere voluerunt. Concussit obsessum & elevatum, ad terram allisit, quasi discerpere vellet: sed nihil ille nocuit, inquit Lucas. Quod non intelligendum est, quasi membra obsessi nullum cruciatum ex illâ convulsione & jactatione senserint: sed quòd nulla pars corporis nocumento aliquo, mutilatione, aut notâ aliquâ læsa fuerit, sicut ex tali jactatione naturali modo fieri necesse fuisset. Significat etiam, quòd exeunte Diabolo, homo statim sine læsione aliquâ, & sine reliquiis debilitationis integrè restitutus fuerit. Hieronymus hæc descriptione jactationis existimat hoc significari, quòd diabolus, quando hominem ex suo imperio cogitur dimittere, tunc demum hostiliter ipsum invadat, jactet, & quasi discerpturus convellat. Pharaon enim, quando cogitur dimittere filios Israël, tunc hostiliter persequitur eos: & diabolus contemptus consurgit in scandala, sicut inquit Hieronymus.*

ψ. 26. κερῆξαι Φωνῆ μεγάλη.

De αἰάρεθρον Φωνῆ non incommodè explicat Grotius, quam exprimebat doloris impatientia, cum ἐναρθερον Christus vi suâ inhibuisset. Prohibuerat autem imprimis Christus, ne diabolus plura de se & doctrinâ suâ diceret, non solùm quòd malè adularetur, ut Tertul. l. IV, contr. Marc. habet, sed etiam quòd suâ confessione hominibus suspicionem injicere vellet, quasi doctrina & miracula Christi aliquid commercii secum haberent, ut qui mutuam ipsi præbebat testimonium.

ψ. 28. εἰς ὅλην τὴν περίχωρον τῆς γαλιλαίας.

Non multum refert fama hæc extra Galilææ fines, anduntaxat extra Capernaumum per Galilæam sparsa credatur. Sensum posteriorem amplectuntur hic Syrus & Latinus. Et sanè ἡ περίχωρος passim in his libris est idem quod χώρα, ut Luc. VIII, 37. Et sic ἡ περιὴν vertunt Græci Nehem. III, 9. & sequentibus. Ita infra VI, 55. & XIV, 35. dicitur ἡ περίχωρος ἐκείνη sine additamento: imò & apud Græcos Interpp. Deut. III. non semel. Verumtamen al-

eri

S. MARCI. c. I.

teri interpretationi favet quod apud Matthæum est circa hæc tempora, καὶ ἀπῆλθεν ἢ ἀκοὴ αὐτῶν εἰς ὅλην τὴν Συρίαν.

At si Matthæus explicat sensu posteriori, utiqve eodem etiam accipienda phtasis est: sine dubio enim Matthæi explicatio & Syri & Latini interpretationi præferenda. Neqve sanè parum hæc interest, *famam sparsam extra Galilee fines per totam Syriam, & famam sparsam tantum per Galileam*: ac si prius verum est, uti Matthæo asserenti credendum est, posteriorius falsum esse oportet.

v. 34. ὄρα ἡφίε.

Vox sanè *μονήρης*: quam nemo observavit extra Marcum qui infrà iterum sic loquitur. Sed neqve *ἀλόγον* flexionem facilè reperiēs: nisi quòd quidam harum rerum putant esse ab ἀφίεω ut ἡλίτε ab ἀπλέω. Sed & hoc poëticum est. Si qui codices haberent ἡφίε, dubitandum non esset, quin & ea lectio esset præferenda.

Non sunt fingendæ novæ lectiones, quales hîc, aut illic esse possint: nec causa præbenda suspicioni alterius lectionis ceu meliori. *Camerarius* in notat. suis ad h. l. ita habet: ὄρα ἡφίε. *Non sinebat, vel non permittebat, ut dicerent, quòd ipsum novissent. Iliados a. est: ἀλλὰ κακῶς ἀφίε: Sed & hoc & illud ὡς καὶ ἡμεῖς ἀφίεω ἀ verbi formâ in μ, deducuntur, cum istud ἡφίε sit ab ἀφίεω minus usitato.*

CAPUT II.

v. 8. τῷ πνεύματι αὐτῶν.

Intelligit Grotius *divinam Christi naturam*, è I. Petr. III, 18 quam ita vocari vult non tantum *ἀσώματον*, quomodo *Patri* id nomen convenit, sed etiam quia quod *ad distinctionem Verb. & Spiritus S.* dicitur generare, *Græcis interdum & ἀπαυγάζειν*, id laxiori vocabulo etiam spirare appellarunt, qualemcunq; emanationem, aut ut *Tertulianus* loquitur, *προβολὴν* eo nomine indicantes. Quod uti rectè è *Patribus* ostendit, è *Scripturâ* tamen doceri non potest. Alii per *Spiritum* intelligunt hîc non divinam naturam,

Quid hic Spiritus!



AD EVANGELIUM

sed *animam Christi* : quia secundum humanam naturam etiam corda & renes probabat, & cogitata hominum agnoscebat : quæ ut homo in die pantocritico in apicem producturus est, ceu iudex universi orbis.

ψ. 15. ἦσαν γὰρ πολλοὶ καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ.

Bene Hebraismi vim reddidisse mihi videtur Latinus interpret vetus : *Erant enim multi qui sequebantur eum.* *Eum*, multi hic Christum intelligunt. Mihi videtur potius ipse *Levi* intelligendus, quem *αὐτῷ* nomine hoc ipso commate designavit Marcus, ut sensus sit tunc cum à Christo vocaretur, multos adfuisse ipsi, ut *δεξιτελώνη* minores publicanos & id genus homines quos Judæi vocabant *ἀμαρτωλῶς*. Eos autem Levin de more sectatos simul etiam ad mensam accubuisse. Neque absterritum Christum.

Non apparet quomodo hoc ad *Levin* trahi possit, quum immediate antecedens nomen sit *Ἰησοῦς*, ad quod referendum pronomen, & textus luculentus sit : *multi etiam publicani & peccatores simul discubuerunt cum JESU, & discipulis ejus : erant enim multi, & sequuti fuerant eum* : unde plerique Christum, non Levin sequutos intelligunt.

ψ. 17. ὅτι ἦλθον καλέσαι δικαίους ἀλλὰ ἀμαρτωλῶς.

Non subauditur, sed additur in plerisque Codicibus Græcis, si non omnibus *εἰς μετένοιασιν*, etiam in *Epistolâ Barnabæ*, quibus præjudicare *Syrus*, & *Latinus*, & unus fortè *Græcus Anglicanus Manuscriptus* non potest.

ψ. 26. ἐπὶ Ἀβιάθαρ & δεξιερῶς.

Achimeleco nomen fuisse Abiathari & Abiathari ejus filio vicissim nomen Achimeleco, nondum video probatum. Nam Achimelec qui nominatur 2. Sam. VIII, 17. & 1. Paralip. XXIV, 3. non vocatur Pontifex Maximus sed Sacerdos, eminens scilicet inter alios, ut Pontificis filius,

lius,

lius, sed Sadoco tamen minor, quia Sadocus erat Abiathare Pontifice Maximo Pontifex à Maximo secundus & Maximi vicarius, & כהן הגדול או כהן כהן הגדול. Hunc rectè sequitur filius Pontificis Maximi. At Pontificem Maximum post vicarium suum nominare contra rationem ac consuetudinem fuerat. Cur ergò Marcus dixit sub Abiathare Pontifice factum id quod factum est sub Achimeleco Pontifice Maximo? Nihil probabilius reperio, quàm quod Abiatharis nomen erat notius, ob Ephod allatum ad Davidem 1. Sam. XXIII, 6. & ob diu gestum sub Davide Pontificatum Maximum. Sed & ipse cum hoc fieret, erat Pontifex, Patris scilicet vicarius, ut cui in Pontificatum Maximum successit, ut solebant Vicarii: & ad fuerat rei quæ hîc narratur, atque ipse tum Patris tum Davidis factum probarat. Simili de causâ Lucas in designatione temporis, Cajaphæ Pontifici Maximo Annam addidit, ut celeberrimæ famæ virum.

Rectè se ista habent. Nec discrepat Lucæ explicatio: *Abiathar fuisse filium Achimelech, qui sub patre functus sit officio paterno, eoque jussu Saulis cæso comes fuerit fugæ Davidicæ, Conf. Harm. B. Walb. ad b. 1. Addenda autem B. Chemnitii observatio Harmon. c. XLVII. Ne quis diceret, Deum in uicidatione Achimelech ostendisse factum illud sibi displicere, Christus nominat Abiathar, qui idem fecit cum patre, & tamen mirabiliter à DEO servatus est, & ad summum Sacerdotium exaltatus toto tempore regni Davidis mansit. Ostendit igitur DEUS & reprehensione cædis Achimelech, Psalm. LII. & conservatione Abiathar, se factum illud non improbare.*

ψ. 27. Τὸ οὐκ ἔστιν ἄρα τὸν αἰθερῶν ἐγένετο.

Putat Grotius legem otii Sabbati juris constituti esse, ob duplicem maximè utilitatem, repertam, primum, ne ullius operis obtentu negligenterentur conventus pietatis causâ instituti, deinde ut ali-

AD EVANGELIUM

quod esset à laboribus spiramentum, quod alioqui dominorum durities familiae vix erat concessura Exod. XXIII, 12. Quibus accessio- nis vice addita sit Aegyptiaca libertatis memoria, & rerum majorum significatio: Ab initio autem non institutum fuisse à DEO sabbatum cum otia necessitate. Sed si instituta ab initio Sabbati sanctifi- catio, ad quam requiritur otium à laboribus communibus, etiam hujus necessitas primordialis statuenda erit. Sed de eo alias,

CAPUT III.

ψ. 4. ψυχὴν σώσαι.

Quamvis, etiam pecudis. Nam ita vox animæ su- mitur in Misnajoth, ubi sabbati quaestiones pertractantur. Quod si pecudem ab interitu servare convenientius est sabbato quam pati ut pereat, sanè & lato die dignius ho- minem sanitati reddere quam in miseriam relinqueret.

E Misnajoth explicare N. T. sententiam est tenebris lucem illustrare. Non de anima pecudis, sed de homine hic res erat.

ἀπολέσαι.

Apparet ita legisse Syrum & Latinum, quare cum nunc quoque sint codices, qui hanc lectionem praferant, ita potius scribendum videtur.

Unus & alter codex Bezae, cum versione Syrâ, Latinâ, addo & Arabicâ non potest excusare audaciam illam Grotianam, quod expunctâ voce ἀποκτείναι, quæ in omnibus aliis exemplaribus legi- tur, substituat vocem ἀπολέσαι. Nil ista inconvenientiæ ha- bet. Nam sive per ψυχὴν Synecdochicè hominem intelligas, op- positio salvandi in vitâ & trucidandi hominis luculenta est, seu animam pro vitâ accipias, annon vita vel servari, vel trucidari di- ci rectè potest? Imò quid opus est ἀπὸ κοινῆ in altero membro vocem ψυχῆς repetere, quum rectè se habeat ἀπίθεις, sine repe- titione! trucidare enim & ψυχὴν σώσαι opposita sunt.

ψ. 5. καὶ ἀποκατεστῆναι ἡ χεὶρ αὐτῆς.

Ita Latinus, & Syrus & Arabs. Quare assentior exi- stiman-

stimantibus ὕγιής ὡς ἡ ἄλλη interpretamenti loco adjectum ex Matthæo. Nam & alibi Marcus ἀποκατάστησιν sine adjectamento usurpat VIII, 25. ita & Dioscorides ἐπιδοθήκῃς ἀποκατίστησι, id est ἰᾶται.

Cur suspicaremur de aliquo additamento irreptitio, quum in nullo *Codice Græco* illa verba desint: & *Latini, Syri, Arabisq;* translatio certior haberi minimè possit Græcis codicibus inter se consentientibus? Facilius enim poterant excidere illa, quàm addi: quum per incuriam omisio contingere queat: additio autem culpâ voluntariâ non vacet, seu *prætextu* fiat *interpretamenti*, seu alio quocunqve.

ψ. 11. προσεπίπτει αὐτῷ

Dicuntur hîc fecisse Spiritus id quod eorum impulsu faciebant οἱ ἐνεργήματα, ut apparet infra VIII, 25. quam ἐναλλαγὴν hîc vitare studuit Syrus.

Dicuntur tamen etiam Spiritus ipsi genua flectere Christo Phil. II, 10. qui πᾶν καταχθονίων nomine utiqve comprehenduntur.

ψ. 14. καὶ ἐποίησε δώδεκα.

Benè vertit Syrus elegit. Græci dicerent κατέστη. atqve ita πψυ sumi tum 1. Sam XII, 6. rectè observatum est. At LXX. etiam ibi: ὁ ποιήσας Μωσὴν καὶ Λαζάρων, id est, ὁ καταστήσας. Potes etiam sumere δώδεκα non pro numero sed pro officio, ut ἐποίησε δώδεκα sit ἐποίησεν Ἀποστόλους, quomodo Latinè diceremus, fecit duodecim viros. Nam passim Apostoli vocantur οἱ δώδεκα, etiam cùm numero essent undecim, ut 1. Cor. XV, 5. Quod enim nonnulli codices hîc adjiciunt ἔς καὶ ἀποστόλους ὀνόμασιν, cum prisca interpretes non agnoscant, haud dubito natum ex interpretamento.

Præferenda omninò Syriaca interpretatio. De quâ *Dru- sius*, & ex eo *Balduinus Walæm* adh. I.

ψ. 17.

AD EVANGELIUM

ψ. 17. Βασιλεγγές.

Non placet Grotio derivatio à בַּשִּׁיבָרָה quæ *Drusii*, vel etiam *Caninii* à בַּשִּׁיבָרָה , mavult descendere vocem à בַּשִּׁיבָרָה quod maximam commotionem notat, & per σισμὸν vertitur à LXX. Interpp. *Ez. III, 14. Jer. X, 22.* Sed quia exponitur voce βροντῆς rectè *Lud. de Dieu* monet, Syriacè dici non ut *Caninius* vult $\text{בַּשִּׁיבָרָה בַּבְּרִי}$ sed $\text{בַּשִּׁיבָרָה בַּבְּרִי}$ quod legi potest βασιλεγγές , atq; inde levi variatione facile oriri Βασιλεγγές .

ψ. 21. ἐξήλθον κρατῆσαι αὐτὸν.

Contingere eum. Nimirum ut eum ex eâ domo, in quâ premebatur, aliò abducerent. κρατεῖν enim sæpè est ἀπτεῖν cum accusativo, ut hic & *Matth. XXIX, 9.* & infra IX, 25. & *Act. III, 11.* aut cum Genitivo, ut supra I, 31. & *Matth. IX, 25.* neq;ve aliter hic interpretantur Syrus & Arabs.

ἔλεγον γδ.

Impersonaliter more Hebræo: id est, rumor exierat.

ὅτι ἐξέστη.

Diximus ita nos arbitrari, non Arabem tantum, quod notavit vis eruditissimus, sed & Syrum ἐξέστη hoc loco accipere, ut significet aut συγκοπήν aut λειποθυμίαν , quorum utrumq; Græci ἐκλύσιν vocant. Quo sensu ἐκλύεσθαι legimus, & *Matth. XV, 32.* & infra VIII, 3. Idem est Hebræis פָּרַח בְּרִי *Gen. XLVI, 26.* Solet autem id sequi tum ex inedia, ut dictis etiam locis apparet, tum ex circumstantis aëris tepore, quem facit nimiris turbæ concursus. Utraq; autem causa tunc & de Christo credibilem hunc rumorem faciebat. Hoc fermè sensu καρδίας ἐξίσταμαι pro correfugit dixit *Sophocles.* Cicero: Quid mirum si magnitudine timoris, ut plerumq;ve fit, à constantiâ atq;ve mente atq;ve à se ipse discescit. Hic à se ipse discescit, est ἐξέστη, id

id est non quidem in furorem actus est, sed ἐλεποθύμησθαι
aut ἐλεποψύχησθαι. Et multi hodiè populi simili locutione
animi deliquium exprimunt. Pertinent autem hæc
omnia ad ostendendum quàm celebris Jesu fama fuerit.
Vid. Act. XXVI, 26.

Heinsio ἐξίκαθα est alienari, quòd Prophetarum fuit pro-
prium, dum spiritu corripentur, extra se ac parum compotes ut
essent. Atque hoc nomine, ac prætextu amicos Domini ut furen-
ti turbæ eum eriperent, suæ eum potestatis esse, negasse vult *Vir*
ille eruditissimus, quem sequitur Grotius, qui *Casaubonus* est Excerc.
XVI. ad annot. Baron. p. 247. Quem verò pariter, ut & *Beza*
Lud. de Dieu ita refellit: *Pia quidem hæc sententia est, quæ cogna-
tis Christi charitatis officia tribuit, quum aliqui impiè & iniquè
egissent, si Christum pro insano habentes capere studuisent. Sed ne-
scio, an tam æquos in Christi cognatos nos esse oporteat, qui alibi di-
cuntur in ipsum non credidisse. Arabs certè ipsis non patrocinatur.
Vir doctissimus vertit, quia malum esset ei cor. Videtur confudis-
se radices, quarum altera significat malum esse, alteram Rapphel. vertit
errare; sed propriè significat abreptum esse, non considerare quid
agas. Inde est ecstasis Act. II, 5. vidi visionem in mentis excessu
ἐν ἐκστάσει. Ita hoc loco pro ἡ ἐξέστη, Arabs habet, quòd esset abreptus
mente, in excessu mentis. Rom. II, 8. πνεῦμα κατὰ γνώσεως, Arabs ver-
tit, spiritum stupentem, ad res considerandas ineptum. Ita eadem
mens Arabis, quæ Syri, & quam Græcum ἐξέστη præ se fert. nempe dixis-
se eos, Christum mentis impotem factum esse. Quod optimè co-
hæret cum sequenti vers. ubi Scribæ dicuntur dixisse, Dæmonium
habet. Nempe conveniebat amicis Christi cum Scribæ; illi mentis
impotem, hi demoniacum dicebant: dignum ergò qui comprehende-
retur. Hæc Dievius. Sed quum inter illos cognatos fuerit mater
Domini, ut ἐψ. 31. colligere est, non tale quid de cognatis præ-
sumendum: ideoque præferenda videtur Dievianæ sententiæ,
etsi ei *Beza* quoque ac *B. Winckelmannus* accedat, *Casauboni*, atque
Grotii explicatio. Imprimis tamen placet *B. Chemnitii* nostri in-
terpretatio Harm. c. LIX. quòd id velim cognati, nimio studio arde-
re &*

AD EVANGELIUM

re & zelo propagandi regni Dei ita quasi extra se raptum esse, ut non semper consideret modum agendi, sed sæpius abripiatur nimia vehementia, quodq; adversarios hoc modo placare conentur: quod opponit Chemnitius etiam illis, qui *Mariae sanctitatem nimis extollunt*, conferens *Ps. XXXI, 23. Ps. XLIIX, 6. Deut. XXII, 28.* & imprimis locum *2. Cor. V, 13* *εἴτε ὁ θεὸς ἐξ ἐστραφῆ, ἢ ἡμεῖς. εἴτε ἡμεῖς ἐξ ἐστραφῆ, ἢ ὁ θεός*, sive *insanimus, Deo: sive sani sumus, vobis*: quod indicat *Apostolus à fidelibus Christi ministris multa in ministerio agere a zelo, ut vulgus improbet, & vel insaniam interpretetur, vel saltem de nimio excessu conqveratur, quæ tamen ipsa & Deus & eventus probent: Quod etiam visum fuisse cognatis Jesu de ipsius ministerio censeret Chemnitius.* *Flacius* in glossa ita habet: *Cogitabant illam tantam multitudinem, & tot occupationes perturbare caput. Fortè etiam in illo tanto tumultu, dum aliud aliis respondendum fuit, aliqua ejus verba & gestus sinistrè accipiebant. Semper sanè mundo insanire videntur, qui serio DEO serviunt.* Adducit *Flacius* aliam ibi sententiam: de quæ eam *judicium suum addit: Molineus consentiente textu monet, vertendum, potius esse: Et cum id audissent, qui apud eum erant, exierunt, ut continerent eam [id est, turbam] dicentes eum abesse, ut sit sensus: Apostolos videntes se nimium occupari, & etiam in capiendo necessario cibo impediri à turbâ, egressos esse ex domo obviam turbæ confluenti, ut eam reprimerent, ne in domum irrueret, prætexentes Dominum abesse: quæ sensus nec incommodus est, nec à verbis alienus: sed sequens versus magis communi sententiæ astipulatur. Vide unionem Mol. part. 30.* Alii quos notat *Beza*, non relativè modò *αὐτῶν* ad *ὄχλον* referunt, sed & illa, *ὅτι ἐξέστη*: & hæc de iis accipiunt, qui apud ipsum domi fuerint, quod exierint, ut furentem turbam compefcerent. Quod improbat *Beza*, tum quia quæ extremo capite narrantur, de cognatis Christum accedentibus videantur indicare, hæc quoque de iis accipienda esse: tum quod verbum *ἔξιστο* vim quandam inferat, quæ furentem multitudinem coercere illi nec valuerint, nec voluerint, quum tantus iis eo tempore zelus non fuerit: adducto loco *Cypriani* l. 1. *Epist. 3. Videmus ipsum Dominum à fratribus esse detentum, & ab eo, quem inter Apostolos delegerat, proditum.*

S. MARCI c. III.

ψ. 22. καὶ εἰ ὁ Σατανᾶς αἰβῆν ἐφ' ἑαυτὸν.

Ὁ Σατανᾶς videtur mihi hoc loco dici, & Lucae XI, 18. tota universitas malorum spirituum, quomodo ὁ αἰθρῶντος pro genere humano, aut naturâ humanâ. Non enim solus Princeps spirituum, sed omnes impuri spiritus eo nomine censentur, ut hoc ipso loco commate 22, & Matth. XII, 26. apparet. Αἰβῆν cum ἐπὶ locutio est Hellenistarum ex Hebraismo, quo hostilis conatus indicatur אֵיבֵן ut Psalm. III, 3. & alibi passim.

Non apparet quomodo tota universitas intelligi possit: num enim tota universitas contra se ipsam insurget! Et v. 23. quomodo potest Satanas Satanam ejicere; non universitas universitatem, sed unus Diabolus alterum rejicere innuitur.

ψ. 32. ἔξω ζῆτεσσι οἱ.

Assentior putantibus continuari historiam coeptam commate 2, sed interruptam ob sermones, quos sub id tempus Christus habuit cum iis qui Hierosolymis venerant. Nam Lucas ait, cum accessissent introire in domum, non potuisse ob turbam obstantem: quod cum illis prioribus certè cohæret.

ψ. 34. τὰς ὡς αὐτὸν καὶ ἰουδαίους.

Credibile est proximos aliquot sedisse: stetisse ceteros aut sedisse in fenestris, ut Act. XX, 9.

Lud. de Dieu non circa ipsum sedentes, sed eos qui circa ipsum, vel cum eo fuere intelligit, h. e. cognatos ipsius: qui sensus confirmari videtur à collatione v. 21. & c. IV, 10. ubi conferendæ notæ Beza. De ipso loco Lud. de Dieu hîc ita habet: *Dubium non est, quin discipuli ejus intelligantur, phrasi Grecis usitatissimâ, apud quos οἱ ὡς τινὰ sunt qui alicui sunt addicti, eumque sectantur. Unde & facillè adducor, ut hoc quoq; loco τὰς ὡς αὐτὸν non construam cum καὶ ἰουδαίους, sed absolute sumam pro discipulis ejus, hoc sensu, Et quum circumspexisset in circuitu suos discipulos sedentes. Hac ille.*

AD EVANGELIUM
CAPUT IV.

7. 2. καὶ ἔλεγε αὐτοῖς ἐν τῇ διδαχῇ αὐτῆ.

Idem genus loqvendi est infra XII, 38. neqve extra Marcum occurrit. Sensus mihi esse videtur, cum alia multa dissereret, tum hoc quoqve dixit inter cætera. Præcipuum quod Christus docebat erant ipsa præcepta, quæ propriè διδαχῆς nomine appellantur. Hæc omni occasione populo inculcabat: addebat deindè auctarii causâ τῷ ὄραβωλικόν: & liberas reprehensiones.

Simplicior est Bezae interpretatio. *Accipio διδαχὴν pro actione verbi διδάσκειν, ut perinde sit, ac si dixisset Marcus, ἐν τῇ διδασκίᾳ inter docendum.* Neqve probari potest, quòd præcepta Grotius præcipuum fuisse dicit in doctrinâ Christi: nam potiores partes debentur τῷ Ευαγγελίῳ, cuius annunciandi causâ venerat Christus Marc. I, 15.

8. εἰς ἵνα ὄπι τὸ λυχνίας ὄπι τῆς.

Connexio hæc mihi esse videtur, quòd aliâ similitudine idem quod superiore ostenditur, non in hoc dari nobis salutarem doctrinam, ut sterilis torpeat, sed ut luceat in nobis per facta pietati consentanea. Quod supra semen, hîc est lychnus: quod supra fructum ferre, hîc super candelabrum ponere. Vide Matth. V, 16. 2. Petr. II, 12.

Concinnior est τῆς ἀκολῆς οἰουµενῆ apud Chemnitium: quod quum tam frugiferum sit Verbum DEI, si rectè audiatur, monentur nunc tum Doctores, tum auditores, ut suo probè fungantur munere, ac verbum DEI ut par est, tradant, atq; audiant: illi quidem lucernam Verbi non sub modio occultando: hi verò Verbum devotè audiendo: Qui aures habet ad audiendum audiat. Vid. Harm. Evang. c. LXI.

9. 22. εἰ γὰρ ἴσῃ π κρυπλὸν ὁ ἐὰν μὴ φανερωθῆ

Grotius hanc vult esse sententiam: *non doceri etiam clam aut privatim ea quæ bona sunt, nisi ut bonorum operum fructum proferant.*

ferant, atq; ita se palam ostendant. Sed respicitur hîc potius ad modum docendi Christi : cui opponi poterat, quod minus perspicuè ipse tradiderit mysteria, quum moneret lucernam abscondendam non esse : ut καὶ αἰ ἵπποφορὰν innuat, nihil esse occultum in doctrinâ suâ, quod non manifestandum sit : siquidem & tùm ipse discipulis suis explicarit, quæ declarari petebant, & deinceps omnia explicatius misso spiritu veritatis Doctore tradenda erant.

v. 25. Ἐὰν ᾧ μέτρω μετρήσῃτε μυστηρίσιν, ὑμῖν, καὶ προσεθήσεται ὑμῖν τὰς ἀκέραια.

Lectiois hujus veritatem defendunt antiqui codices & veteres Metaphrastæ, à quorum consensu, ut sæpè monui, non est temerè recedendum. Generalis autem proverbii quis hîc sit usus, verba illa postremo ostendunt, nimirum idem qui sequentis sententiæ, habenti dabitur. Prout homines prima & maximè necessaria pietatis monita grato & fideli animo accipiunt, ita se in eos magis magisque effundit divina largitas. Audientibus enim quomodo audire oportet beneficia ulteriora contingunt. Cyprianus epistolâ ad Donatum : Non enim qui beneficiorum terrestrium mos in capessendo munere cœlesti mensura ulla vel modus est : profluens largiter spiritus nullis finibus premitur nec coërcentibus claustris intra certa metarum spatia frænatur : manat jugiter, exuberat affluenter, nostrum tantum sitiât pectus & pateat : quantum illuc fidei capacis afferimus, tantum gratiæ mundan-
tis haurimus.

De lectione diversâ vid. Beza. Sensum & cohærentiam textûs eximiè tradidit B. Chemnitius Harm. c. LXI. col. 853. Diligenter attendite, quid Deus vicissim à vobis requirat, ne vestra saluti ipsi desitis. Idem cō verbum audientes, diligenter attendite, nihil aures vestras temerè prætervolet : sed singula diligenter excipite, excepta assiduâ meditatione, instar mundorum animalium, Lev. XI,

AD EVANGELIUM

3. ruminare, atq; eò dirigite, ut dignos in vobis fructus afferant. Ratio additur parabolica: *Quæ enim mensurâ metimini, eadem fiet vobis ad mensio: id est, quæ ingenii, diligentia & industrie mensurâ in recipiendo hoc divino beneficio usi fueritis, eadem mensurâ Deus vobis fructum auditus & dona sancti sui Spiritûs remetietur.* Aperte ergò ora & aures vestras, & dominus implebit illa, *Ps. XXXI. v. 11.* *Quod si animos cælestium bonorum desiderio dilatatos attuleritis, & ea quæ per auditum verbi apud vos deposita fuerint, fideliter custodieritis, subinde DEUS plura super addet, quæ eternam vestram salutem juvare poterunt.* Nam adjicietur vobis, qui auditis. *Non enim adeò immitis est cælestis Pater, quin magno cum lucro piis fidelens suam operam compenset.*

ψ. 25. ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ.

Non ostendit hæc eo die gesta quo præcedentia Christus docuerat: sed ἐκείνῃ ἡμέρᾳ simpliciter est quædam die, ut & Matth. XIII, 1. XXII, 23. Lucas pro eo dicit ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν V, 17. ita Hebræi נִוְהָה תַּעֲב.

36. ὡς ἡν ἐν τῷ πλοίῳ.

Id est, avehant, ut supra IV, 5.

ὡς ἡν ἐν τῷ πλοίῳ.

Elegans locutio: ita Latini, ut erat disjecta capillos. Nihil autem aliud hoc genus loqvendi significat, quàm continuationem ejus quod prius erat. Ita Christus erat in navi, ut doceret velut è suggesto: mansit in navi, ut in altum aveheretur extra conspectum turbæ stantis in litore. De positurâ corporis videtur hîc agi.

μετ' αὐτῶν.

Proximè navigantem seqvebantur. Nam qui in istis navibus erant dixerunt quod infra memoratur commate 41.

Hæc, si sensus ille vocum ἐν ἐκείνῃ ἡμέρᾳ locis parallelis vel ex usu lingvæ probari posset, non viderentur reprobanda. Nam
si ea-

S. MARCI. c. V.

si eadem die hæc gesta forent, quâ præcedentia, turbaretur valde ordo apud Matthæum, uti videre est in *Harmonia Chemnitianâ c. LXIII.* Sic enim à c. XIII. regrediendum ad c. IIX. & anticipatio insignis penes Matthæum statuenda erit.

CAPIT V.

ῥ. 1. Γαδαραίων.

Discimus è tabulis Judææ quas Judæi edidère *גירגא* & *גדארה* id est, Girgasa & Gadara ad eandem partem stagni vicino esse positu, ita ut adfita regio non minus Gadenorum Marco, quàm Matthæo Gergesenorum dici rectè potuerit.

Sic Adrichomius duas illas urbes *Girgasam & Gadaram* docet ad duas horas ad invicem disitas: undè in utriusque finibus id accidisse potuit. Alii tamen, & inter hos *B. Chemnitius*, è *Josepho, Hieronymo, Ptolemaeo* Gadaram urbem insignem & munitam observant, quæ fuerit primaria Gergesenorum. Non sanè opus est ut propter hæc diversa nomina cum *Andr. Osiandro* diversas historias statuamus à *Matth. c. IIX. & Marco* hoc loco descriptas. Vid. *Harmon. Chemnitii c. LXII. & LXV.*

ῥ. 15. τὸν ἐχνηότα τὸν λεγεῶνα.

Cum & Syrus & Arabs agnoscant, retinendam censeo: eoque magis quia credibilius est deletum ab iis qui supervacuum putabant, quàm aliis additum.

Meritò tuetur hic Grotius quanquam præter morem ferè, Codicis Græci recepti puritatem, etsi vulgata illa omittat: quæ in veteri Codice Græco quoque se non reperisse monet *Beza*, pro germanista tamen agnoscit, & multum ad Emphasin miraculi facere, cum *Erasmio* fatetur.

ῥ. 19. καὶ ἠλέησέ σε.

Ita optimi codices; quos *Larinus* sequitur. Neque video cur malè cohæreat. Nam Græcè cur non dicatur *καὶ ἠλέησέ σε* cum *ἠλέησέ σε* hic tantum valeat quantum

ἠλέησέ σε

AD EVANGELIUM

ἐχαρίσθη σοι. Apparet offensos constructionis novitate qui ὅτι addiderunt. Nam Syrus cur id adderet causam habuit suam, quod illud Græcum loquendi genus sua lingua non admitteret. Utitur hic Christus eâ modestiâ quæ τῆ παύσεως λογία invidiam demit, ut sapienter Plutarchus monet, cum rectè à nobis facta ad Deum referimus auctorem. Posset etiam exponere ὅσα σοι ὁ κύριος ἐπέησα ἐλεήσας σε, quomodo sæpè copulativam conjunctam cum verbo participii vicem expl. re vidimus.

Deseruit hic jure Beza Grotius, etsi aliàs non satis æquus Græcis Codicibus. Reprobanda meritò Beza audacia, quod ob unius Codicis lectionem textum emendarit, & suum ὅτι ingesserit. Quem Syri autoritas non juvat. Solet enim is quandoque sensus causâ aliquid addere, quod in textu originali non habetur.

ψ. 23. ἐχάρη σοι.

Hebraicè **וַיִּגַד לְיִשְׁרָאֵל** ut Ps. LXXXVIII, 4.

ἵνα ἐλθῶν ἐπιθῆς.

Subauditur **ὁδοκαλέω σε** ex eo quod præcesserat. Hoc autem nihil est aliud quàm circumscriptio modi precativi. ἐπιθῆς dixit Matthæi interpretes. Qui hic deesse aliquid putarunt, adjecerunt ἐλθῆς: quod non legit Syrus, neque enim repetit veniendi verbum: sensum autem rectè expressit per modum, ut diximus, precativum. Simile est illud Aristophanis Nubibus ὅπως δὲ τῆτο μὴ διδάξῃς μηδὲνα, nam & hic subauditur **ὁδοκαλέω**, aut aliquid simile.

καὶ ζήσεται.

Videtur mihi qui ζήσῃ annotavit explicasse Hebraismum. Nam Hebrais futurum est vice subjunctivi: atq; ita intellexisse mihi hunc locum videntur Syrus, & Latinus interpretes. Neque est παύσεως λογία. Sensus enim est: ut sanitatem recipiat, atq; ita mortem imminentem effugiat.

Stepha.

S. MARCI. c. V.

Stephanus non nisi unum refert Codicem, qui legerit *ζήση*, uti *Syrus* etiam habet, ac *Latinus*. Non autem diversam fuisse lectionem, sed *marginalem* solum *annotationem* innuit Grotius. Quæ observatio suum habet usum etiam adversus ipsummet Grotium, alias nimis proclivem in diversas lectiones. Si enim tum etiam eæ non sunt statuendæ, cum Codices aliter atque aliter habent, quia ponenda unica tantum lectio, quæ verò videtur altera habenda pro notâ marginali, quantum minus id integrum erit fingere aliam lectionem, ubi in nullo Codice Græco ejus occurrit vestigium!

ψ. 30. δύναμιν ἐξελεύσων.

Populare loquendi genus, sed magnæ efficaciam. Significatur enim apertissimè vis quædam non adventitia, qualis ad Prophetarum preces à Deo exeri solebat, sed quæ esset in ipso *ὀφισαμύνη* atque inde effectus produceret, quod hic est *ἐξέρχεται*.

Quæ observatio contra *Calvinianos* notanda, vim divinam carni Christi derogantes. Conf. quæ in Exam. Doctr. de personâ Christi contr. II X.

ψ. 38. ἀλαλάζοντας.

Hellenistæ, qui non tam Græci sermonis ἀκροβολοῦσαν sequuntur, quàm id curant, ut quàm proxime fieri potest, exprimant vim linguæ Hebrææ, ut redderent *לַיְיָהִי* quod Hebræis clamorem, præsertim verò lugubrem, significat, voces Græcas quæ siverunt sono affines: sunt autem duæ *ὀλολύζειν* & *ἀλαλάζειν*, quarum illam in sacris, istam in bello maximè Græci usurpabant: quo sensu *ἀλαλαγμὸν* etiam apud Josephum reperio. Sed Hellenistæ, ut dixi, istâ proprietate neglectâ abusionis libertatem sibi indulgere. Et *ὀλολύζειν* quidem eo sensu passim occurrit, ut Es. XIII, 6. XV, 2. LII, 5. Jerem. XLVIII, 20. 31. Zach. XI, 2. Os. VIII, 14. & Jac. V, 1. *ἀλαλάζειν* verò Jerem. XXV, 34.

D

לַיְיָהִי

AD EVANGELIUM

ϞϞϞ ϞϞϞ Ϟλαλάζατε ποιμνίης XLVII, 2. καὶ ἀλαλάζουσιν
 ἅπαντες οἱ καθήμενοι τῷ γῆν. Eiusdem verò Prophetæ lo-
 co altero qui est IV, 8. alii Codices Græci habent ὀλολύζατε,
 alii ἀλαλάζατε. Syrus ipsam vocem expressit quæ per
 Græcam exprimitur ϞϞϞϞ. Quare de lectionis verita-
 te in tanto codicum consensu non est dubitandum.

Rectè ista à Grotio dicta: Vox hæc *gaudii* est apud *Græcos*.
 Undè nonnulli corrigunt, & legunt ὀλολύζοντας: sed nec eam
 vocem convenire *Casaubonus* docet: propriè enim dici de *clamo-*
re, quem tollebant maculat à victimâ, qui sacris intererant: Diser-
 tiores etiam Græcos non aliter usurpare, nisi *in re lætâ*, ut sit præ
 gaudio exclamare. Sed rectè hîc Ludovicus de Dieu: *Nihil mirum*
est ἀλαλάζειν pro ejulare aut lamentari accipi, etsi ad ἀὐλητικὸς non
 respiciatur, quia etiam *ovibus vastata pascua lugentibus* adscribi-
 tur ἀλαλαγμὸς *Jer. XXV, 26.* nequè enim hujus vocis, ut & alia-
 rum, usus ex prophanis scriptoribus, sed ex LXX. interpretibus est
 petendus, quorum idioma Sacri scriptores passim sunt secuti.
 Quibus hanc vocem accipi non solùm pro *lætè vociferari*, sed et-
 iam pro triste *lamentari* è *Jer. XXV, 14. & XLVIII. 3.* constat.
 Atquè ita *Glossarii* autor etiam ἀλαλάζειν explicat *ejulare*. Idem
 de ὀλολύζειν dicendum, quo *quanquam qui elegantius Græcè sunt lo-*
cuti, non nisi in re lætâ sunt usi, ut doctè à *Casaubono* probatur, *apud*
LXX. tamen & in N. T. pro lamentari frequenter usurpatur. Quod
Hellenisticis vitio non verti debet, quippe *qui ab Hebræis didicerunt,*
ϞϞϞ quod in gaudio propriè ponitur non rarò de tristi etiam *vocife-*
ratione usurpari, ut Es. XV, 4. Mich. IV, 9. ut hîc habet *Dievius*.

CAPUT VI.

ψ. 13. Ἡλειφον ἐλάτω.

Ex more antiquo Hebræorum, qui ut manuum im-
 positionem precibus pro aliquo susceptis adjungere sole-
 bant, ita & unctiorem per oleum circa ægrotos pro qui-
 bus preces suscipiebantur, in spem impetrandi à Deo le-
 nimi-

niminis & gaudii quod per oleum significatur. Quem morem prima Christianorum Ecclesia libenter usurpavit, non ita tamen, ut nunquam *ἰάματα* sine oleo exercerentur. Notus Jacobi locus de oleo: & historia sanationum in Actis sine oleo. Diximus alibi Christianos veteres, quicquid *ἀλληγομαῶς* dictum in sacris literis reperiatur, id expressisse visibilibus signis. Hinc factum, ut & baptismo, & manuum impositioni juxta baptismum oleum adhiberetur, interdum & aliarum unctioes.

Observanda hæc propter *Pontificios*, extremæ unctiois Sacramentum hinc exsculpere nitentes: quibus, posterioribus temporibus, frigidam suffundere non dubitavit Grotius. Non agi hîc de Sacramento extremæ unctiois agnoscunt *Hugo Victorinus, Altfiodor: Lombardus, Bonaventura, Alensis*, etiam *Belarminus* de extr. unct. c. 2. *Reihingius* in Enchir. Cathol. contra D. Hoë p. 564. *Jansenius, Gregor. de Valent. Tirinus* &c.

ψ. 14. καὶ ἤκουσεν ὁ βασιλεὺς Ἡρώδης (φανερὸν γὰρ ἐγένετο)
τὸ ὄνομα αὐτοῦ.

Ita legendum censeo, ut ὄνομα sit quarti casus, pro quo interpretamenti vice quidam substituerunt *ἀκοὴν αὐτοῦ*. Cum enim satis constet veteres libros caruisse distinctionum notis, liberum cuique eâ in re iudicium permittendum arbitror. Syrus quia hanc constructionem sua lingua vix patiebatur, duas voces addidit, de Jesu.

Si integrum id est, parentheses pro arbitrio constituere, annon facillè erit Scripturam pervertere, quemadmodum exemplo suo docuere Sociniani. In Codicibus omnibus clauditur demum parenthesis post voces τὸ ὄνομα αὐτοῦ. Veteres libros originarios omnibus distinctionum notis caruisse, hypothesis precaria est, nec periculo vacat.

καὶ ἔλεγον.

Ipsè Herodes, ut & Matthæus narrat: cæterum in-

AD EVANGELIUM

jectâ ab aliis suspicione, ut ex Lucâ discimus. Videndum num qui Codices habeant ἔλεγον, sicut olim Latini legébant. Nam Marcum fermè sequitur Lucas.

Illa suspicio de vitiosâ lectione nullo solido nititur fundamento. Cur quærendi Codices aliter legentes, quum omnia se rectè habeant, & Matthæus consonet Marco, juxta receptam lectionem?

ψ. 15. Ὅτι προφήτης ἔστιν ὡς εἰς τῶν προφητῶν.

Miror dubitari de hac lectione, quam codices plurimi præferunt & præterâ Syrus, Arabs, & Latinus interpretes. Adde quòd interpositum ἢ sensum nullum commodum reddit: cum hujus lectionis aperta sit sententia. Nam hæc istorum hominum de Christo opinatio fuit, esse eum non Messiam, non Eliam, non Johannem, sed Prophetam à DEO suscitatum parem veteribus Prophetis. Diversum sentiebant illi apud Lucam ὅτι εἰς τῶν δευτέρων ἀπέστει.

Non immeritò hîc refellit Beza, cui astipulatus etiam Heinsius, quod particulam ἢ inferere textui non dubitarit, ὅτι προφήτης ἔστιν ἢ ὡς εἰς τῶν προφητῶν. Audacia est non ferenda receptum textum immutare, qui tam consentientes habet Codices, nequæ ulla apparet mutationis necessitas: quum sensus optimè se habeat.

ψ. 31. Δεῦτε ὑμεῖς, ὑπάγωμεν αὐτοὶ καὶ ἰδίαν.

Hunc in modum legisse mihi videtur Syrus, cum in aliis codicibus desit ὑπάγωμεν, in aliis ὑμεῖς & αὐτοὶ. Mihi ista lectio non displicet ut sit αὐτοὶ positum pro ὑμεῖς.

Iterum è solâ suspicione textum corrigit Grotius. Nullum enim Codicem habuit, qui ita legerit. Ordinariè & communiter sic habent Græca exemplaria: Δεῦτε ὑμεῖς αὐτοὶ καὶ ἰδίαν: & sensus est per se luculentus: Venite vos ipsi seorsim. Erasmus interpretatur, vos soli, h. e. dimissis cæteris: Positum enim est, inquit, αὐτοὶ pro solis: quæ expositio cur violenta planè judicetur à Beza, causa nulla est: Si tamen minus placeat, cur non secundum lite-
ram

ram & $\epsilon\tau\iota$ $\pi\acute{o}\delta\alpha$, ut ajunt, Græca exponantur! Beza in nno vetusto Codice legit $\delta\epsilon\upsilon\tau\epsilon$ $\upsilon\pi\acute{\alpha}\gamma\omega\mu\lambda\upsilon$. Sed cur unus ille Codex cæteris præferretur?

Ψ . 33. $\kappa\alpha\iota$ $\omega\pi\epsilon\sigma\eta\lambda\theta\omicron\nu\alpha\upsilon\lambda\acute{\epsilon}\varsigma$.

Quod hic nostri codices post illa verba habent, $\kappa\alpha\iota$ $\sigma\upsilon\nu\eta\lambda\theta\omicron\nu\omega\pi\epsilon\sigma\eta\lambda\theta\omicron\nu\alpha\upsilon\lambda\acute{\epsilon}\varsigma$, supervacuum est, neq; agnoscitur aut à Syro, aut à Latino. Quare cum alii codices habeant $\eta\lambda\theta\omicron\nu$ & $\alpha\iota\tau\acute{\epsilon}\varsigma$, suspicari liceat initio scriptum fuisse à librariis $\kappa\alpha\iota$ $\eta\lambda\theta\omicron\nu\omega\pi\epsilon\sigma\eta\lambda\theta\omicron\nu\alpha\upsilon\lambda\acute{\epsilon}\varsigma$, quod interpretamentum erat eorum quæ posuimus Marci verborum. Sed postea cum in textum irrepsisset, mutatum, ne bis idem diceretur.

Non $\omega\pi\epsilon\sigma\eta\lambda\theta\omicron\nu\alpha\upsilon\lambda\acute{\epsilon}\varsigma$, sed $\omega\pi\epsilon\sigma\eta\lambda\theta\omicron\nu$ $\epsilon\nu$ habent Codices nostri. Cur supervacuum censeatur quod ad sensum facit? Annon prævenire Apostolos poterant in desertum, etsi ad Christum non venerint statim! Suspicio de aliâ scriptione, quia nullo nititur fundamento, vana est.

CAPUT VII.

Ψ . 2. $\pi\upsilon\gamma\mu\eta$.

Ita vertunt LXX. $\eta\gamma\gamma\alpha\beta$ Exod. XXI, 18. factio pugno, ut Cicero loquitur. Nam manum in pugnum compositâ manu alterâ lavabant, ut ex Mose Gerundensi atq; aliis ostensum est. Tradit idem Jacobus Baalturim magister Hebræus in semitâ vitæ. Quod autem Theophylactus dicit $\alpha\gamma\epsilon\iota\tau\epsilon$ $\alpha\gamma\kappa\omega\tilde{\nu}$ in eo verum dicit, sed quod ad vocis hujus significationem aptari vix potest.

Præferenda hæc Grotii explicatio illis, quæ Scaliger, Camerero, Capellus apud Balduinum Walsæum protulere: quæ recensere nihil attinet.

$\alpha\iota\sigma\epsilon\lambda\gamma\alpha\varsigma$.

Reperitur hæc vox plerumq; juncta cum voce $\alpha\iota\kappa\alpha\theta\alpha\rho\epsilon\sigma\iota\alpha\varsigma$ apud Paulum ut 2. Corinth. XII, 21. Galat.

AD EVANGELIUM

V, 19. Eph. IV, 19. & hīc Syrus foetorem transtulit, unde apparet intelligi obscœnitatem in dictis factisque: ut pars ejus sit *αιχερολογία*, quam cæteris vitiis annumerat Paulus Colofs. III, 8. Pluralem autem numerum codices boni præferunt: atque ita legit Latinus.

Cur *pluralis* numerus præferri debeat, qui in tribus tantum codicibus repertus à Stephano, *singulari*, quem cæteri Codices habent, causa nulla est: ideoque temeraria est illa mutatio textus à Grotio facta.

ψ. 32. *μογιλάλον.*

Omninò Syro assentior, atque aliis, qui hunc non mutum sed impeditam linguam fuisse arbitrantur. Nam sequitur *ἐλάλεσθε ὁρθῶς*. Neque obstat quod infra dicitur *ἀλάλῃς λαλεῖν*. Nam *ἀ* particula Græcis sæpè difficultatem significat. Sed & LXX. Hebræum *מִן* modò vertunt *μογιλάλον*, ut Es. XXXV, 6. modò *ἀλάλον*, ut Ps. XXVIII, 14.

Rectius *Arabs* & Latinus *mutum* interpretantur, ut Ex. IV, 11. *מִן* *mutus* *μογιλάλον* redditur ab *Aquila*, *Symmacho*, & *Theodorione* & Es. XXXV, 6. à LXX. Interpp. Quod etiam miraculum magis commendat. Si enim *impeditam* solummodò habuit linguam, *surditatis* vitium accidentale fuit, nõ naturale, aut per *κωφὸν* non *surdus*, sed quod vult Beza *surdaster δύσκωφος*, parili ratione intelligetur: adeoque utrumque vitium sanabile magis. Sed si *surdus* simul, & *planè mutus* fuit, intelligitur *natura* fuisse *surdus*, ille enim *semper mutus*, ut rectè *Ludovicus de Dieu*. Neque admittendum illud vocis *ἀλάλῃς* interpretamentum, quum id significationi propriæ, & miraculi Christi gloriæ, nec non præconii quo Christus celebratur magnitudini non parùm derogat.

CAPUT VIII.

ψ. 25. *καὶ ἐποίησεν αὐτὸν αἰαθλέψαι.*

Cum hoc non habeat Syrus, & aliter legerit Latinus,
unde

unde nata est altera lectio καὶ ἡξεῖσθαι ἀναβλέψαι, fieri potest ut adjectum sit ab eo qui vim impositarum secundo manuum voluit exprimere.

E Syro & Latino, qui non semper καὶ πῶδα textum reddidêre, ut non semel fassus est Grotius, non est in suspicionem corruptionis vocandus textus Græcus originalis. Neque lectio illa altera reperta est à Stephano, nisi in uno tantum Codice.

ἀπαντα.

Cum & codices quidam ita habeant, atque ita legerint Syrus & Latinus, præferenda hæc lectio videtur.

Non plures Codices, sed unum tantum, ut diximus, invenit Codicem Stephanus, qui legit ἀπαντα. Non debuerat ergo hinc textum immutare Grotius.

ψ. 26. εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ.

Videtur in agro habitasse.

τινὶ ἐν τῇ κωμῇ.

Locum qui multis obscurus est visus perspicuum facit intellecta ἔλλειψις. Sensus enim est μηδὲ εἰπὶς τινὶ τῶν ἐν τῇ κωμῇ: scilicet ἀκύντων. Non modo vetat eum ire in oppidum, sed & si quis oppidanorum alibi ei fiat obvius rem narrare prohibet. De articuli reticentia ante præpositiones diximus ad Matth. XXII. 30.

Ita non opus est diversis illis lectionibus, quas Beza congregavit, nos angere. Planus enim sensus in receptis Codicibus juxta hanc interpretationem.

ψ. 30. πρὸς αὐτὸν.

Illud, Christum se esse. Nam veri doctorem & Prophetam se dici ab Apostolis volebat; Messiam verò se esse paucis dixit: nolens id ipsum publicè vulgari ante triumphatam mortem. Videtur autem Petrus in hujus historiae recitatione magnificam illam promissionem à Christo sibi factam modesto silentio præterisse: cum quicquid erat in

qvo

AD EVANGELIUM

culpari ipse posset apertissimè narraverit, quam formam narrandi bonâ fide secutus est Marcus.

Assumit Grotius precariò, quod ex *Petrinâ relatione* Marcus scripsit, quæ scripsit: quùm potius per Spiritûs S. inspirationem ipse omnia, uti cæteri viri ἰσοπνεύουσι, scripserit. Rectè autem hîc *Beza* notat, credibile non esse vel ipsum Petrum, vel Marcum præterituum fuisse illud, *Tu es Petrus*, si Ecclesiæ Christianæ fundamentum in his verbis situm esse, existimassent.

ἦ. 31. ἀποδοκιμαθῆναι.

Allusio ad locum Psalmi CXVIII, 22. cuius sæpè meminere Christus ejusqve Apostoli. Ibi in Hebræo est מוֹכַר quod Hellenistæ modò vertunt ἀποδοκιμασθῆναι, modò ἐξῆθενεῖν. Habuit ἐξῆθενεῖν suos gradus: ad summam autem pervenit eo tempore cùm Christus à Synedrio, tanquam indignus Judæi nomine, traditus est Romanæ potestati.

Psalmum ergò CXXIX, 22. de Christo agere indubium est: idqve hîc agnovit Grotius. Cur itaq; aliàs id in dubium vocavit in *annotatis ad librum Psalmorum*? Quem proindè ibi castigatum qui volet, in *Annotatis nostris Anti-Grotianis* videbit.

μὲν τρεῖς ἡμέρας.

Vide quæ ad Matth. XXVII, 63. Hoc addam, non malè ab Hebræis dici solere Deum beneficia sua cumulatiùs implere quàm verba fuerunt. Intra triduum præstare, quod exacto triduo facturum te promiseris, bonitatis est laudandæ, non accusandæ vanitatis. Nam in promissis tempus adjicitur, ne serius fiant, non ne citius dicto. Atqve ita ajunt Judæi liberationem ex Ægyptiacâ servitute promissam post annos quadringentos, præstitam post ducentos & quod excurrit.

Ad Matth. XXVII. 63. rectè exposuerat: *μὲν τρεῖς ἡμέρας* id est, *intra tres dies* בעור ימים שלשת Gen. XL, 13. ubi LXX.

ἔτ

S. MARCI. c. IV.

ἐν τρεῖς ἡμέρας, cum tamen quod ibi dicitur impletum sit ipso die tertio ut apparet ibidem commate 20. ita Christus ipse apud Marcum VIII, 31. dicit oportere se μὲν τρεῖς ἡμέρας ἀναστῆναι. Ita וְכֵן שבע שנים Deut. XV, 1. LXX. vertunt δι' ἐπὶ ἅ' ἑτῶν [quomodo & Josephus loquitur, & supra XXVI, 61. & Marci XIV, 58. scriptum est Δὲ τριῶν ἡμερῶν] At eadem verba Hebraea ubi de eadem re agitur Jerem. XXXIV, 14. Graecè non tam κτ' λέξις, quàm κτ' ἀγνοίας vertuntur ὅτι αὐτῶν ἡμέρῶν ἐξ ἑτῆ, quomodo & Rabbinorum eruditissimi exponunt Abrabam & Kimchi. At Deuteronomii XXXI. 10. Hebraismo retento verterunt μὲν ἐπὶ ἅ' ἑτῆ. Simile est Job. XX, 26. μετ' ἡμέρας ὀκτὼ ubi Syrus, ut & hoc loco illud μὲν reddidit verbum verbo בְּחַר cum apud Marcum explicet per ἡ quod respondet voci ἐν Hæc ibidem. Quæ confirmantur iis quæ Beza & Lud. de Dieu hîc habent, quæ etiam apud Balduinum Waleum legi possunt in hunc locum, longèqve saniora sunt hac observatione Grotianâ. Nam bonitas DEI sic prædicanda, ut non derogetur veritati divinæ. Quomodo autem ille de 400. annorum servitute calculus sese habeat, aliàs exposuimus.

CAPUT IX.

Ἐ. 19. Τὸ ὄντι τὸ ἐκ νεκρῶν ἀναστῆναι.

Generalem resurrectionem, ut Martha Joh. XI, 24. tum ex traditione majorum, tum ex apertissimâ Christi doctrinâ sperabant: qualis tamen ea futura esset non satis intelligentes: At in hoc ævo aliquem verè mortuum in vitam reverti posse in mentem ipsis venire non poterat. Quare sequitur aut qui à Prophetis, & Christo resuscitati erant hæctenus eorum animas non putaverint planè fuisse ἐν ἀδῆ, hoc est à corpore separatas, aut id quoqve, ut alia multa ante ubertatem Spiritûs S. per incogitantiam ipsis in oblivionem verterit. Vide & infra 33,

Non solùm ex traditione majorum præter doctrinam Christi haberi poterat dogma de resurrectione mortuorum, sed etiam è

E

Scri-

ADIEVANGELIUM

Scriptis Ver. Test. in quibus id propositum esse, nec ipsi Judæi negant, & adversus Sadducæos Christus confirmavit Matth. XXII.

ψ. ΙΙ. ὅτι λέγουσιν.

Sic Hebræi τὸ suum pro cur usurpant, Es. XXIX, 16.

Sic infra IX, 28. Hoc Hebraïsmis Marci a numerandum,

ψ. 12. ἠλίας μὲν ἔλθων πρῶτον ἀποκαθιστᾶ πάντα.

μιμητικῶς recitat dictum frequens in ore legisperitorum: quod certo sensu verum esse concedit,

καὶ πῶς γέγραπται ἐπὶ τὸν υἱὸν ἑ ἀνθρώπου ἵνα πολλὰ παθή καὶ ἐξεδενώθῃ.

υἱὸς ἀνθρώπου est Messias, quomodo eum appellat Daniel; ἐξεδενώθαι ut modò diximus Hellenistis idem est quod ἀποδοκιμάζεσθαι & convenit cum illo Esaiæ הוֹרֵב שָׁבַב XLIX, 7. Si verum est Eliam omnia restitutum, id est, quemadmodum legisperiti interpretantur, effecturum ut à populo omni Judaico Messias gratis animis accipiat, quomodo igitur constabit fides aliis vaticiniis, quæ ostendunt fore, ut Messias multa patiatur (quod apertissimè dixit Esaias) & rejiciatur à primoribus populi, (quod David דִּיאֲנוּפִי significavit) imò cur Messias dicitur filius hominis, quod nomen sortem abjectam indicat? Simili modo πῶς sumitur Matthæo XXII, 45.

ψ. 13. ἀλλὰ λέγω ὑμῖν.

Imò inquit, tantum abest, ut Eliæ opera omnes Judæi sint ad obedientiam Messiae debitam perducendi, ut ipse qui Elias dicitur debuerit, à Judæis atrocissima perpeti.

καθὼς γέγραπται ἐπ' αὐτόν

Cum Baptistam Eliam vocet Propheta, hoc ipso intelligi datur non de futuros ipsi Achabos & Jezebeles.

Facile hæc admittimus de loco *Danielis VII.* Εὐστροφίας a. Grotianam hic observamus: siquidem locum *Dan. VII. 14.* in annotationis

tatis Vet. Test. non de *Christo Filio hominis*, sed de *populo Romano* intellexerit. Sanior etiam est hoc loco, quàm in prædictis annotationis circa locum *Es. XLIX. 7.* quem ibi etiam expendimus. *Rejectionem* autem *Christi solum dicà τὸ πρὸς significasse Davidem* haud concedendum: nam secundum sensum literalem de nullo alio à primoribus populi rejiciendo loquitur David *Ps. CXIIX.* quàm de *Messia*, ut illic ostendimus: Quod verò ad illud *sicut scriptum est de eo*, nimis obscurè indicata creditur *nomine Eliæ Johanni tributo hujus persecutio*, quùm *Elias* ratione *Spiritûs Johannes* esse potuerit, etiamsi non ea passus, quæ *Elias*, cui utiq; in mortis genere similis minimè fuit, ideoq; verba illa *sicut scriptum est*, ad præcipuum, quod de *Eliæ* adventu dictum pertinent, cui alterum solum additur, dignoscendi *Eliæ* causâ: nimirum *Eliam venisse, & cum quidem cui fecerunt, quæcumq; voluerunt, sicut ipsum venturum esse scriptum est*, Conf. *Heinsius & ex eo Valæus in b.l.* Non inconcinna tamen videri possit *Lud. de Dieu. explicatio v. 12. Sensus est: Elias præcursor erit Messia; & omnia quæ promisit DEUS, stabiliet, suoq; in loco constituet, etiam hoc ipsum, quod de Filio hominis scriptum est, quod multa patietur, &c: quod sanè egregiè præstitit, ubi digito eum demonstrans dixit, Ecce agnus DEI qui tollit peccata mundi. Eorum enim verborum sensus est, Ecce eum qui peccata mundi instar agni portans, multa patietur, occidetur & pro nihilo habebitur. Accuratè transtulit Arabs. Tunc dixit eis, quòd Elias jam venit primùm, & rectificavit omnia, & quod scriptum fuit de filio hominis, quod patietur multa & reprobabitur. Id est, hoc etiam rectificavit, quod de passionibus filii hominis scriptum erat. Quia nempe non rectè de eâ re judicabant Judæi. Atq; eo sensu ἀποκαθίστα rectè etiam vertitur restituet. Potest tamen πῶς γέγραπται etiam verti, restituet omnia, & quomodo scriptum sit de filio hominis. Id est, inter cætera hoc etiam restituet, quomodo de passionibus Christi scriptum sit, id palam, clarè & rectè docebit. Id præfero, quia propriam & genuinam ἑ πῶς significationem retinet. Hæc *Lud. de Dieu.**

ψ. 23. τὸ εἰ δύνασαι πιστεῖσθε.

Ἐλλὰ πικρὸς λόγος quem optimè supplebis addito Ἐση-

θήσῃ σοι. **Confidere, si modò id potes, erit tibi saluti.** Ita infrà ἢ πίσις σὺ σέπωκέ σε. nisi malimus τ' hīc παρέλκειν, qvōmodo fermè apud Lucam XXII, 2.

Præstat dicere particulam τ' hīc παρέλκειν : ne opus sit hoc supplemento. *Capellus* putat ita posse verba distingvi, τ' ἔ δύνασαι, πιεῦσαι, ut sit elliptica oratio, sensusqve sit, *Credere à te exigitur, vel, Credendum tibi est, sive, oportet te credere, si tu quidem id possis.* Sic Christus reponit homini illi sua verba εἰ δύνασαι, quasi dicat : *Tu mihi dicis, si quid potes ; Ego verò tibi dico, si tu potes crede, sic te iuvabo, omnia enim sunt possible credenti : quod approbat Walæus.*

ῥ. 24. Βοήθη μὲ τῆ ἀπιστία.

Quod fiducia mæ deest bonitate tuâ supple. Nam ut augmentum fiducia ab Jesu speraverit, & quidem subito vix credibile est.

Quàm credibile fuit Grotio, sperasse tunc à bonitate supplementum iri quod deerat fiducia, tam credibile est augmentum fiducia Christi ab eodem sperasse : & utrum magis admittendum, an quod τῆ ἀπιστία, incredulitate quid impetrari possit, an quod infirmæ fidei succurri, eademqve roborari queat ? Ideò communiter Interpretes precationem intelligunt de *corroboratione infirmioris fidei*, quæ penè ἀπιστία quædam fuerit atqve veræ humilitatis causâ ita vocetur. *Magnæ ingenuitatis est, ait B. Lyserus noster in Harm. c. LXXXIX. p. 1298. quòd luctam fidei & diffidentia in se non dissimulat. Invenis ses, qui in tali casu pleno ore fidem professuri fuissent, quâ tamen destituerentur, quasi divinam sapientiam mendacibus verbis fallere possent. Sed hic ingenuè agit. Quia sentit se infirmiore esse quàm par sit, preces eò ardentius intendit suam imperfectam fidem disertè confitetur, & Christi opem, ut huic medeatur implorat.*

ῥ. 40. καθ' ὑμῶν ἵπτερ ὑμῶν.

Ita optimi Codices : ita Syrus : ita Arabs : ita Latinus. **Quare mutari non debuit.** Proverbium erat usu com-

communi tritum, quod prima an secunda an tertia persona efferatur nihil refert. Nam indefinita oratio est ad quosvis pertinens. Locum habet hoc adagium quoties res aliqua assumtis undecunq; subsidiis promovenda est.

Meritò notatur audacia *Bezae*, quòd mutarit textum, quum non nisi duo Codices Stephani legant *ὑμῶν*, alii *ὑμῶν* constanter habeant, & his astipulentur versiones & Interpp.

ψ. 44. ὁ σκόληξ αὐτῶν ἐτελεύτα, καὶ τὸ πῦρ ἐσβέννηται.

Locum *Es. LXVI. 24.* qui hîc adjicitur de devastatione extrema Hierosolymæ per ignem & vermem qui cadaveribus herere solet, secundum *literam* & in typo aeternæ condemnationis, explicat *Grotius*: Sed uti hîc de aeternâ condemnatione literali sensu agitur, ita etiam eo, non alio sensu intelligere Propheticum locum oportet. Quo de diximus in *annot. ad Es. LXVI, 24.*

ψ. 49. πᾶς γὰρ πῦρ ἀλιθίσηται, καὶ πᾶσα θυσία ἀλιθίσηται.

Josephi Scaligeri suspicionem de mendo, quasi legi debeat πᾶσα γὰρ πῦρ, meritò reprobatur *Grotius*, quam & alii, imprimis verò *Spanhemius* refellunt; & satis consensus unanimes Codicum (quem verò etiam aliàs attendere debebat *Grotius*) profligat. Sensum autè hunc esse vult: Igne consumendos totos ut ὀλοκαυτώματα in *V. T.* qui pravis affectibus indulgentiam præstant: Sale verò instar *Min. hæc* condendos esse, qui se Deo offerunt in spirituale sacrificium, ut quicquid est putredinis vel malorum affectuum, exedatur diligenti curâ atq; meditatione, quomodo sal exedere solet putredinem. Omnino, inquit, aliqua consumtio homini debetur, aut per modum saliturae, aut per modum incendii. Hæc impiorum est, illa piorum. In priori membro *Maldonatum* habet ἐμόψηφον, qui ita explicat, omnes illos quorum ignis non extinguetur, igne salientur, id est, condientur, torrebuntur; qui censet: in posteriori aludi ad *Legem Leviticam*, sicut omnis victima sale salitur: sed illi pro sale ignem futurum, ejus perpetuis cruciatibus torquebuntur.

AD EVANGELIUM

Verum enim verò parum ipse Jesuita huic tribuit sententiæ, quam non vult lectori ut præjudicatam, sed ut judicandam tradere: & fatetur, se nullum auctorem invenisse, qui eandem tradiderit. Non multum tamen ab hac glossâ discessit Cloppenburgius in Spicileg. Schol. Sacrific. prior. cum ita explicat, *vermem non moriturum, quia totus igne salietur*, ut ἀλίξεν πύρε) sit fomitem facere ignis æterni, quia *Sal eternitatis Symbolū Num. XLIX, 9. 2. Cor. XIII, 5.* vel totus igne salietur, qui nempe offenderit aliquē, ut πᾶς sit ἀγνὸς totus perfectus membris suis omnibus igne cruciabitur. Qui verò posteriora verba sic exponit: *omnis autem hostia sale salietur: bonum est salistud: quasi dicat, Melius autem est sale fœderis saliri ad vitam æternam, quales sale fœderis asperse hostiæ sunt seipsos Deo offerentes, mortificantes membra terrestria.*

Sed rectius aliorum habet sententia, qui vel de igne ac Sale verbi & doctrinæ (quod magis probamus) vel de igne & Sale crucis, aut macerationis sui ipsius interpretantur, quia *Verbum igni comparatur Jer. V, 24. c. XXIII, 29. Mal III, 2. Luc. XII, 49.* nec immerito confertur sali, quod spiritualiter animam servet, humores pravos consumendo. Sic & crux per ignem denotatur. 1. Cor. III, 15. hominemque veterem *instar salis mundat*, ut allusio fiat ad Lev. II, 13. quod satius sit nos in hac vitâ spirituali igne, & sale sicut victimas condiri & offerri, quam igne inextinguibili consumi. uti explicat B. Lushberg in glossâ margin. de igne ac Sale doctrinæ & verbi, qui ad macerationem & crucifixionem veteris Adami facit cujus explicationem etiã alii amplexi sunt, etsi *Vinarienses Paraphrasta* alterã de igne ac sale crucis jungant. Vid. B. Lyserus in Harm. nec non Beza & Junius, Theophyl. & Beda, & ex antiquis Doctoribus Spanhemius posteriorem amplexus. *Ignem vocat Dominus macerationem illam*, inquit, *tum quia reverà urit, & cruciat hominem, tum per ἀτίξων ad ignem de quo ante mentio*, quasi dicat, *illi qui cupiditatum suarum rationem habent igni eterno erunt obnoxii, præstat verò vos alio igne non tam cruciari, quam velut condiri & saliri.* Opponit ergò Dominus ignem igni, præsentem futuro, ignem condientem igni exurenti, quem ignem æquè necessarium statuit Discipulis suis, ac sal obla-

oblationibus. Quum enim putredo nobis sit insita naturaliter, quamdiu in statu viatorum sumus, opus necessario aliquo sale, qui resistat isti putredini & illam edomet, ne compurescamus vel desinamus esse hostia Deo grata.

Nullatenus a. probanda Grotii sententia, quia voce *πᾶς* *omnis* intelligitur, qui in comparationem cum hostiâ sale condienda venit. Non ergo illi, de quibus antea egerat, notantur: Et qualis hic sensus esset, *omnis illorum quorum ignis non extingvetur igne salietur?* (2.) quia non diversi generis hostiæ hîc introducuntur, ἀλοκαυλώματα & Mincha, quarum aliæ igne, aliæ sale condiantur, sed in genere de omnibus hostiis dicitur, quod condiendæ sale sint: iisqve conferuntur, qui se Deo hostias sistere volunt. (3.) quia monet, *quomodo mortificanda sint membra veteris Adami, ut ignem illum ἀσβεστον effugiamus.* (4.) quia consequentia magis conveniunt nostræ explicationi, uti jam dicetur. (5.) *Salem actum ipsum* ut Grotius vult, notare inconveniens est: quum medium condiendi, non actus eo designetur.

ψ. 50. καλὸν τὸ ἄλας.

Salis factâ mentione aliam obiter Christi sententiam Marcus adjicit: sed in quâ sal non ipsum actum, ut suprâ, designat, sed eum hominem in quo actus iste peragitur: Christianum scilicet, qui non à se tantum, sed & ab aliis arcere debet τὸ σαπρὸν. Vid. Matth. V. 13.

ἀναλον γίνεσθαι.

Μωρανοθῆ Matthæus & Lucas.

ἐν τίνι αὐτὸ δερτύσεται.

Nullum aliud dogma est, quod reparare eos possit qui à Christi salutari disciplinâ deficiunt. Vide quæ ad Matthæum.

ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς ἄλας.

Hic redit ad priorem salis significationem. Est autem τὸ ἄλας ut diximus *attenta meditatio ad purgandos*
affe-

AD EVANGELIUM

affectus quos inter violentissimi sunt ambitio & invidia, quorum occasione in hunc sermonem Christus devenerat.

Non opus est diversâ falis acceptione: neque convenit hic saltus ab unâ sententiâ ad aliam, & reditus ad priorem significationem, ubi omnia cohærent optimè. Si enim *Sal doctrine* per corruptelas verbi insulsum, vel fatuum reddatur, quonam tandem condiemur? Habere igitur incorruptam doctrinam nobiscum semper debemus cum studio pacis & concordie mutue. De quo *B. Lyserus* col. 1331. Harm. *Quando alicubi verbi ministri in suo officio sunt negligentes, aut ipsi pravâ doctrinâ vel malo vite exemplo auctoritatem suam prostituunt, tum omnis disciplina eorum corrumpitur, passim scandala enascuntur, ita ut publica vitia nullius auctoritate corrigi, nullius imperio coerceri possint.* Habere in vobis ipsi *salem* &c. *Vult, ut tum singuli, tum tota Ecclesia, & in hac præcipuè verbi ministri, habeant in se salem sapientie, nempe sinceræ doctrine, Spiritus ac discipline: ac simul sint pacis, ac mutue concordie studiosi. Hec enim sunt duo principali ornamenta, & cum primis salutaria Ecclesie bona.* De quibus etiam apud *Zachariam Dominus agit c. VIII, 19.* Veritatem tantum & pacem diligite. Et qui hæc duo Ecclesie bona promovere studet, ille non ambitiosè & stultè de primatu in Ecclesia altercabitur, ut modò Apostoli fecerant, cui morbo *Christus* hoc præcepto mederi cupit. *Spanhemius* aut Dominum ulterius commendare velle utilitatem voluntarie macerationis nostre, & ut illam ignem vocavit tum ob ignem antè commemoratum, tum ob naturam ejus; sic Dominum hîc eandem *salem* vocare ob mentionem factam salis adhibiti in oblationibus, & ob convenientiam macerationis istius cum sale. Addit ergò, καλόν, hoc est, χρησιμὸν utilem esse illum *salem*, si commodè adhibeatur: si in virtute suâ destituatur in homine condiendo, & salutariter præparando, non dari ulterius condimentum aliud. Debere itaque Discipulos suos in id studiosè incumbere, ut *salem* in se habeant non sapientie tantum, sed & veræ pœnitentie & acrimoniae necessariae tum erga se, tum erga alios, talem tamen qui non obstet paci illorum mutue,

CAPUT

CAPIT. X.

v. 4. ἐπέτρεψε.

Permisisit repudiare dato libello : aut quod eodem recidit & apud Matthæum est, repudiare volenti præcepit libellum dare.

v. 5. τὴν ἐντολὴν ταύτην.

ἐντολὴ generalis significatu leges quascunqve, etiam permittentes significat. Nam & permissio obligat, primum alios omnes ne tale quid impediant, deinde si forma actui permisso addatur obligat eum qui acturus est ne aliter agat.

Rectius hic distingvit *Beza* : per ἐντολὴν docens intelligi *mandatum de scribendo divortii libello, si quis pro suâ duritiâ non posset uxorem ferre. Nec enim Moses præceptum dedit de repudiandis uxoribus, sed uxoribus potius contra inflexibilem maritorum duritiâ prospexit. Mal. II, 15.* Vide tamen quæ ad Matthæum de his diximus, ubi hæc materia ita enucleata, ut quæ hîc fortè adhuc peculiariter tradidit ad *Marcum Grotius*, inde dijudicari citra difficultatem possint. Ideò illis immorari opus non est. *Seldenus*, & ex eo *Walaëus* notat in fœdere veteri per septingentos à lege latâ, aut circiter annos, divortii mentionem nullibi occurrere : *Rara quidem alicubi post, ejusdem vestigia, Exemplum stante Rep. Ebraicâ aut nullum, aut rarissimè memoratum.* Ex hac tamen Christi informatione apparet usum divortiorum, etiam uxorum dimittentium maritos tum increvisse.

v. 50. αἰασαῖς.

Ita & *Syrus*. Quare non dubito quin alterum αἰασαῖς substitutum sit in Codicibus Græcis mutatis ad Latinum exemplar, quod aliquot locis factum observavimus.

Cur ergò aliàs Latinum textum præfert consvetæ lectioni Græcæ, & hanc ex illo corrigit : quum id fieri fas non sit!

F

CA.

AD EVANGELIUM

CAPUT XI.

ψ. 1. εἰς Βηθθαζαῖν καὶ Βηθανίας.

Utriusque loci meminit Syrus; ut & Thalmudici. quod aliqui libri habent Βηθθαζαῖν puto esse ex corruptâ pronunciatione. Nam Γ Hebræum declinat ad sonum $\xi\sigma$.

Vulgatus solam *Bethaniam* commemorat. Quod etiam in *Syro* notat *Beza*, sed per ἀμείρημα μνημονικόν, siquidem & *Syrus*, & *Arabs* utrumque locum habeant.

ψ. 2. ἐφ' ὃν εἶδες αἰθράτων κειράκιε.

Benè monet vir doctissimus ad sacros usus solitas adhiberi animantes nondum humanis usibus mancipatas. Injuges Latini vocabant: ut apud Festum & Macrobium est. Vide historiam 1. Sam. VI, 7.

Neg, temerè, addit *Beza*, hoc ita factum voluit Dominus, quasi ad hunc ipsum usum destinatus hic pullus fuerit, sic regiam suam majestatem hac licet in speciem vili pompa Christo cæcis Judæis testificante. Quæ imprimis etiam character & κειράκιον esse debebat Messia: unde is dignosci poterat.

ψ. 12. ἐπεινάσατε.

Salutem populi Judaici in ficu figurati. Tempus enim non erat anni quo ficus fructum ferret. Non ergò arborem spectavit in hoc facto, quæ si infrugifera est, non minus culpâ caret verno aut æstivo, quàm hyberno tempore.

Verè tamen esurivit Christus, ac propriè. Non ergò impropiè & figuratè de esurie salutis populi explicari hoc debet, etsi ea hîc adumbrata sit. Significatio typica præsupponit historię veritatem: esuries spiritualis fructuum Judæorū esuriem corporalem fructuum ficus. Cæterum non est, ut ad hunc locum intelligendum *Elie adventum* expectemus, vel cum *Heinsio* locum contra omnium Codicum constantem consensum emendemus, atque

ita

S. MARCI. c. XI.

ita legamus sensu planè contrario ἔ γδ ἦν, κατὰ τὸν σὺν, *ubi enim erat, tempus erat ficuum*: quum in oriente mense Nisan, vel Martio fici, Plinio teste, nascantur. Hac, inquam, audaci textus immutatione opus non est: nam etiamsi tempus nondum erat ficuum, quo scilicet universaliter & in copia maturefcerent, unde nil nisi folia ficus pleræque habebant, hæc tamen ficus peculiariter culta, & præ aliis commoditate gavisa ad ferendos fructus oportunâ, & poterat & debebat habere minimum quasdam ficus, ideò ad eam accessit Christus, num inveniret aliquid ficuum εἰ ἀπὸ εὐρήσθαι ἐν αὐτῷ, sed nihil in eâ, nisi mera tantùm folia, ac nec quicquam fructuum invenit, quæ explicatio non omninò arguit ignorantiam, quum & Deus ipse descendisse exploraturus Sodomitarum vitam & actiones ἀπὸ Γεωπονικῶν dicatur, & accessio & exploratio illa non Christi, sed aliorum, ut palàm fieret sterilitas arboris, gratiâ facta. Nam utut *caricarum*, seu *maturarum & tempestivarum ficuum* nondum κατὰ τὸν fuerit, aut ut ficus universaliter prorumperent, quod tempus in *antitypo* fuit, *cum emitterentur Apostoli in totum orbem*, *grossi* tamen, h. e. *immatura & intempesta ficus*, quæ *Hos. IX, 10. Nab III, 12. primitivorum* in ficu nomine notantur, tùm haberi poterant, imprimis in Judæâ, uti *Cant. II* dicitur, *ficus protulit grossos suos, hyems enim transit*: à quibus fructibus præcocibus *Bethphage*, ad quam versabatur tum Dominus, nomen habere videtur: quia Ebræis גרוס *gross*, quòd non modò plures ibi, sed maturi & præcoces aut citius, quàm alibi in oriente, provenirent ficus: ubi nihil gratius quàm σὺν ἀπὸ εὐρήσθαι (uti præcocem & ante tempus solitum maturam Hellenistas dicere ex *Es. XXIX, 4.* & *Hesychio* observat *Heinsius*,] siquidem ficus ejusmodi æstivos inter fructus, aut qui proximè æstatem præcedunt, ponantur *Matth. XXIV, 12. Marci XIII, 28.* ac vel ideò in delitiis & gratæ sint, ut quas commendare sola raritas soleat. Adde quòd *Plinius* l. XV. *Hist. natur. c. 18.* ex *Catone* memoret, *deprehensas in ficibus hyeme grossos, si post autumnum simo contegantur, quæ mitiore cælo refossæ cum arbore, atq; in lucem remissa novos soles aliosq; quàm quibus vixere a vidè tanquam iterum nata accipiunt, & cum venientium flore maturefciunt alieno præcoces*

AD EVANGELIUM

anno in tractu vel gelidissimo; quod & in hisce oris, si calidioribus cellis inferantur ficus, deprehendimus, arboresque foecundae quae etiam per hyemem interdum fertilitatis suae reliquias quasdam conservent. Quid ergo mirum, si in Palæstinâ, regione calidissimâ isto tempore ficus desideratae fuerint? Illa ergo ratio, *non erat tempus ficuum*, non excusandae sterilitatis gratiâ addita est, sed potius, ut accessus & indagationis Christi causa redderetur, quod quum nondum tempus maturarum ficuum vel caricarum esset, aut etiam universalis protrusionis ficuum, in hac arbore, fertiliori & commodiori loco sitâ, foliis luxuriante, quærere voluerit, annè saltem aliquid in eâ reperiatur, seu de reliquiis fertilitatis, seu de gros sis, & præcoquis, aut præcocibus ficibus *περὸν μοις σὺν*. Adde quod verbis illis, *quod arbor non habuerit nisi folia*, innuatur, quod arbor ista non tunc tantum, sed etiam superioribus annis talis fuerit semper foliis nempe abundans, fructibus autem vacua, propterea maledictione digna. Quae omnia *mystice* significationi apprimè conveniunt, & difficultates, quas hinc frustrâ fingunt, & figunt Interpretes, facile expediunt.

ψ 16. *διεβέβηκεν οὐρανόν*.

κτλ & *ἰσχυροῦ* intelligi debet *οὐρανόν* ad quæstum faciendum pertinens.

Aliena ergo sunt, quæ à *Cuneo* hinc *Waleus* adfert à *nugis Talmudicis*; *nemo in montem templi veniat cum baculo, aut calcamentis pedum, neque cum mantica, aut pecuniis linteo involutis*. Quid ista ad præsentem locum, aut næniæ Rabbiorum ad reformationem Christi?

ψ. 23. *ὅς αὖ ἐπιη τῷ ὄρει τῶ*.

Montes in Prophetis sæpè, ut & Apocal. VIII, 8. sunt magna imperia. Sensus hoc loco est: Si fidem Deo haberet populus Judaicus, Romanum jugum ab eo auferretur.

Non hinc respicitur Romani jugi amolitio, nec de *populo Judaico* sermo est, sed de *discipulis*: & fidei commendatur efficacia, quod non solum *ficus arefactio*, sed etiam *montis in mare translatio*,

S. MARCI. c. XII.

latio, hoc est, quicquid per naturam impossibile est (mutatâ specie, ut ex eâ de genere iudicium fiat) per fidem fieri possit: quia divina potentia per montis translationem exprimitur: *Job. IX, 5.* Propriè ergò montium translatio intelligenda. *Conf. 1. Cor. XIII, 2.*

CAPUT XII.

ψ. 20. ἐπὶ ἀδελφοὶ ἡσυχ.

Ita plurimi Codices & Syrus, quare ἔν ex Latino videtur adiectum: neq; necessarium est, Species enim facti novam sententiam inchoat.

Omisit etiam particulam ἔν *Erasmus*: nec invenit eam *Beza* nisi in uno Codice. Nullam ergò excusationem meretur factum audacia ejus, quòd adjicere veritus non sit textui hanc particulam. Sed perquam solennis illa est huic viro, non vanè castigata à *Grotio*, in aliis tamen locis non minus temerario.

ψ. 23. ἐν τῇ ἐν ἀνάσσει ὅταν ἀνάσῃ π.

Gaudet hujusmodi παρανομιῶν iteratione Marcus ut exemplis aliquot ostendimus ad *Matth. XXIV, 22.*

Vid. *Marc. VII, 13. c. XIII, 19 & 20.* Temerè omittitur illa repetitio à Syro, & in duobus *Bezae* Codicibus. Habent enim *Arabs, & vulgatus Latinus.*

ψ. 34. ἡ μακρὰν εἰς ἀπὸ τῆς βασιλείας ἔθ. Θεῶ.

Eorum qui spiritum regni nondum acceperunt multi sunt gradus, quos inter non longè à regno remotus est ille, in quo sunt homines qui intelligunt summam pietatis & eam approbant. Hinc assiduis precibus ad regnum transitus datur. Vide *Rom. VII.*

Non enim sufficit nosse & approbare. Hæc si sciveritis, beati si feceritis *Job. XIII, 17.* Nec verò tantum legem intelligere sufficit, sed imprimis requiritur, ut Christus ex Evangelio rectè agnoscat, & verâ fide suscipiatur, *Job. 1, 12. Rom. IX, 4.* Quem nondum agnoscebat Scriba iste. Ideò *Chrysostomus*: Non bono-

AD EVANGELIUM

navit eum, inquit, consummat à laude (Christus) sed nonnihil deesse ei ostendit. Nam etsi non procul abest, abest tamen, quare defectus ille supplendus erat. Tacitè igitur ad fidem eum invitavit, atq; excitavit, ut ad ulteriora niteretur, & quæ ipsi adhuc deerant, studiosè inquireret. Alia est illius Rom. XIV. ratio: Hic enim in regno Dei jam constitutus, queritur saltim de carnis adversus spiritum concupiscentiâ. Conf. Gal. V, 17.

CAPUT XIII.

Ψ. 9. καὶ εἰς τὰς συναγωγὰς δαρήσασθε.

Veram hanc esse lectionem quam præferunt antiqui codices non dubito, ab ignavis ejus dicendi generis varè interpolatam. Nam alii καὶ post vocem συναγωγὰς addiderunt, pro εἰς τὰς συναγωγὰς reposuerunt ἐν ταῖς συναγωγαῖς. ἔβαπτίσθη εἰς Ἰορδάνην & εἰς οἶκον ἔστι, & infra ὁ εἰς τὸν ἀγρόν ὄν: Latini quoq; dicunt esse in potestatem, & similia.

Notat *Bezam*. Sed quia pleraq; exemplaria post συναγωγὰς distinctionem adhibent, cur non ea paucioribus præferri poterint jure, nullam video causam? Non dissimulandum tamen, quod ita ut Grotius, Stephani editio Anno MDCL habeat.

Ψ. 14. τῆς ἐρημώσεως.

Quod hic in quibusdam codicibus additur τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Δαυὶδ & προφήτῃς puto ex Matthæo adjectum. Nam Latini non agnoscunt.

Non satis solidum est argumentum à Latinis codicibus. In Græcis receptis, etiam in Rob. Stephani laudatâ hæc non omituntur.

Ψ. 32. ἔδὲ ὁ υἱὸς.

Videtur mihi, nî meliora docear, hic locus non impiè posse exponi hunc in modum, ut dicamus divinam sapientiam menti humanæ Christi effectus suos impressisse pro temporum ratione. Nam quid aliud est, si verba non torquemus, προέκοπῆς σοφία, Luc. II, 52, ? Sicut igitur post
resur-

resurrectionem accepit omnem potestatem, ita & omnem scientiam. Ac ne quis hanc sententiam ab antiquitate damnatam putet, satis admonere nos potest illud Ambrosii: secundum carnem utique scientiâ Dei implebatur & gratiâ. Pro tempore autem ἀποστολῆς suæ Jesu opus non erat scire diem universalis judicii, quem Deus Pater latere voluit.

Illâ *Luc. II, 52.* concernunt *scientiam habitualement vel experientialem.* Cæterum habuit omnem potestatem Christus ut homo etiam in statu exinanitionis καὶ τὸ κῆσον, *Job. III, 34. Col. II, 9.* quam καὶ τὸ χεῖσον, ut plenariè in cælo, & in terrâ exerceret, accepit post resurrectionem. Quod etiam de scientiâ per unionem hypostaticam communicatâ habendum. Omnes enim thesauri sapientiæ & agnitionis in ipso reconditi fuere *Col. II, 3.* etsi ratione χεῖσεως non in promptu fuerit omnium rerum notitia: quam ratione κῆσεως communicatam habebat: quia in statu exinanitionis versabatur. Post resurrectionem non ita respondit: de die illâ & horâ nemo novit, neq; Filius, sed non est vestrum nosse tempora *Act. I, 7.* Oportet ergo cum *Cyrillo I. IX. Thesaur. c. 4. misericordiam Dei Verbi admirari, quòd non recusaverit propter nos ad tantam humilitatem descendere, ut omnia nostra & ipsam etiam ignorantiam humanam susciperet.* Perperam igitur Pontificii Christum actu ipso scivisse diem judicii secundum humanam naturam, sed se scire dissimulasse asserunt: à quibus dissentit *Jac. Faber Stapul. veritatem hîc agnoscens: Christus his verbis nature assumpta infirmitatem respicit, antequam in suâ immortalitatis fulgeret gloria.* Pluribus de hoc loco egimus in *Anti-Crellio*, ubi Socinianis quoque eodem ad inficiationem divinæ Christi naturæ abutentibus os oppilavimus.

Ἐ. 34. καὶ τὸ ἴσμεν.

καὶ hîc παρέλκει more Hebræorum, quod alibi quoque observatum.

Beza planè expungendum duxit: Sed audaciâ non ferendâ.
Neque

AD EVANGELIUM

Neque ulla necessitas apparet, ut vel *παρέλκειν* credamus: quum sensus eâ integrâ manente rectè habeat. Id autem non malè *Beza* observatum: *genus hoc dicendi ex veterum consuetudine peti- tum esse, qui atrienses servos & janitorem in primis habere consue- verunt, abundante servorum multitudine.*

CAPUT XIV.

ῥ. 3. Νάρδος πισικῆς.

Non probat *Grotius*, & rectè, *πισικὴν* ἠδὲ τὸ ποιεῖν deriva- ri: quæ *Beza*, & *Casauboni* fuit sententia: non enim hîc de po- tu agitur. Vult autem vocem Latinam *spicata*, quam & Græci dicunt *σπειράτω* & *σπειράτω* corruptius apud Judæos pronun- ciatum, nimirum *ⲛⲣⲩⲔⲟⲩⲉ*. Sed merito *Capello* dura admo- dum videtur, & planè intoleranda illa literarum *μετῶθεσις*: neque ita apud *Ebraeos* pronunciatam hanc vocem esse docere potuit *Grotius*: quivamen *πισικὸν* dici, quod fidei est exploratæ hic agnovit, etsi id tantùm apud scriptores aliquot seculis superiores oc- currere dicat. *Artemidorum* laudat *Capellus*, cui *πισικὴ γυνή* est fida uxor: ita ut *πισικὴ νάρδος*, sit *nardus pura & sincera, mini- meq; adulterata*. Quo etiam abit *Syriaca* versio *ⲛⲣⲩⲔⲟⲩⲉ* quod non *capitatum* exponi debet, sed *eximium: nardini prastantissimi*. *Arabs* *πισικῆς* hîc planè omisit. At *Josephus* habet similiter, *nar- dini boni*: sic habet quoque *Æthiops*: atque ita etiam *Theophyl.* reddidit per *ἀδόλον germanum non adulteratum*. Quod proba- tur etiam *Ludovic. de Dieu*. *Plinius sincerum* dixit, cui opponi- tur *Pseudonardum*, cujus multas ipse facit species. *Nardinum un- guentum magnitum fuisse pretii* notat *Casaubonus*, quia illis tem- poribus unica fuit *urbs Laodicea*, quæ unguentum hujusmodi cum saude conficeret.

συντερίσασθαι.

Non comminuens, sed efficiens ut latè hiaret: quo- modo *συντεριμῶν* & *λοιμῶν*. *Jer.* II, 13. Sic & alibi *συν- τερίσειν* est vulnerare, *Ezech.* XXXIV, 4. *1. Reg.* XX, 27. *Ape- ruit* positum hîc à *Syro*.

Minus commoda est *Erasmii* versio *communio alabastro*, &
Beza

S. MARCI. 2. XIV.

Bezae *confractio*. Commodior vulgatæ: *fractio*. ut enim in minutas partes confringeretur vasculum, res non ferebat: Quia aut unguentum in terram, aut unâ cum unguento fragmenta vasculi in caput Christi cecidissent. Nec obstat quod συντεθειμένον proprie sit *conterere*. Latius enim usurpatur apud LXX. pro ἕρπειν, ut hîc *Dievius*: qui observat etiam ita reddidisse *Syrum & Æthiopem*: & aperuit illud alabastrum, facto in eo foramine.

ψ. 15. ἐστὶν ἀλάστρου.

In quibusdam libris ἐτοιμον ex Matthæo additum, neque enim agnoscit Latinus: quanquam habet Syrus: ut & alia nonnulla quæ ex Matthæo sunt addita.

Retinuit & *Rob. Stephani* illud ἐτοιμον: neque apparet, cur ex Matthæo additum hîc quicquam censeri debeat. Nimis facilis est Grotius in suspitione corruptionis textus.

ψ. 19. εἰς καθ' εἰς.

Ita & Joh. IIX, 9. Non est καθ' εἰς pro καθ' εἴτα εἰς sed καθ' εἰς ut clarè apparet Rom. XII, 5. ὁ δὲ καθ' εἰς ἀλλήλων μέλη. Nimirum ut suprâ diximus VI, 40. Sveti Hebraico sermone non rarò nominativum sumunt ἀκλίτως. Itaque καθ' εἰς hîc idem valet quod καθ' ἓνα I. Cor. XIV, 31. Eodem modo καθ' εἰς reperitur apud Lucianum Solœcista, & Christianos scriptores aliquot.

Μὴτι ἐγώ.

Rectè monet vir diligentissimus, quod in quibusdam codicibus adjicitur καὶ ἄλλοι μὴτι ἐγώ ex interpretamento natum videri. Nam nec Syrus nec Latinus nec Arabs agnoscunt. Neque cohæret cum illo καθ' εἰς.

Approbat jam *Beza* sententiam, quod illa verba redundant. At in duobus tantum Codicibus non inventa sunt. Nec aliena videri debent: imò suspicari quis possit, ut hîc rectè B. Gerhardus in Harm. per illum ἄλλοι in specie denotari *Judam*, de quo Matthæus speciatim memorat, quod Christo dixerit, *Nunquid ego*

G

sum

AD EVANGELIUM

sunt Rabbi? quam specialem proditionis quæstionem *Marcus* prætermisit.

ψ. 22. λάβετε.

Φάγετε quod hic aliqui Codices additum habent, ex *Matthæo* venit. Nam veteres *Metaphrastæ* non agnoscunt: & deest in Codicibus quibusdam.

Licet in uno & altero Codice desit hoc verbum, cæteri tamen id omnes habent. Non tam facile *additamenta* fingere debemus: quum non verisimile sit præsumsisse quempiam textum addimentis aliundè ascitis locupletare. Sanctius enim habebantur Codices sacri.

ψ. 45. ῥαββὶ ῥαββὶ.

Ita optimi Codices & *Syrus*. quare lectio altera ex *Matthæo* profluxit.

Atqui nulla alia lectio reperta est, nisi quòd *Latinus* *ave* addit: cujus verò versio pro alio codice venditari non potest: quum non semper verbum verbo reddiderit.

ψ. 51. καὶ εἰς τις νεάνισκον.

Non de Apostolorum grege, quod miror veteribus in mentem venire potuisse, nec è domo in quam *Christus* in urbe diverterat, sed ex villâ aliquâ horto proximâ, strepitu militum excitatus, & subitò accurrens, ut conspiceret quid ageretur.

Σινδόνα.

Solebant enim cubare ἐν λινῶ ἐσθήματι ut ex *Dionysii Alexandrini* epistolâ vir summæ eruditionis *Isaacus Casaubonus* monstravit. Atq; ita hic juvenis lecto exsilierat.

οἱ νεάνισκοι.

Id est, milites Romani, quos & Græci νεάνισκας & Latini sæpè juventutem vocant. Hi autem adolescentem istum apprehenderunt unum discipulorum *Jesu* esse existimantes: quod ideò addidit *Marcus*, ut significaret, constitutum fuisse

fuisse non Jesum tantum prehendere, sed & discipulos ejus.

Non probanda illorum sententia, qui aliquem è discipulis Christi putant, aut etiam ipsum Johannem: quem toto illo tempore inter amictos nudum stetisse, ecquis credet? Addimus quæ habet de eo Casaubonus: Enim verò, inquit, quis fuerit hic juvenis, quærereturiosum est & vanum; quando inveniri & ζῆλῶδες non potest. Theophylactus, qui plures super eâ questione refert sententias, primam omnium ponit hanc: ἔτι ὁ νεανίσκος εἰκος ὅτι ἐκ τῆς οἰκίας ἐκεῖνης ἦν, ἐν ἣ ἐφαγον τὸ πάχα. Verisimile est hunc juvenem ex illâ domo fuisse, ubi Pascha comederunt. Et sunt eadem verba etiam apud Euthymium. Hæc conjectura mihi videtur omnium maximè probabilis: nam quod summi viri arbitrantur, ad tumultum quem cohors Juda excitavit, proripisse juvenem è lecto, & aliundè è vicinia accurrisse: id ego minus probo. Ait enim Evangelista ἠκολούθη αὐτῷ, seqvebatur igitur Christum, etiam prius quam proditor cum militibus veniret. Fieri potest ut hic juvenis, postquam cubitum se recepisset, de periculo Christi quem venerabatur, aliquid inaudierit; ac statim lecto se proripuerit, sindone tantum amictus, & Christum seqvi ceperit. Quòd è lecto surrexerit, nuditas arguit, cujus causa probabilis alia excogitari vix potest: neq; hoc à temporis circumstantiâ est alienum. Nam ut è Theophylacto discimus, nox fuit provecta, & altera jam præterierat vigilia. Hæc Casaubonus: non cum Grotio è villâ aliquâ horto proximiâ, sed è domo in quam Christus in urbe diverterat, juvenem illum arcessens.

ψ. 54. αἰὲς τὸ φῶς.

Ad focum lucentem qui ἦν Hebræis.

Et hoc etiam, notante Heinsio Hellenistis suis debuit Marcus, ut cætera. Conferri is poterit, & ex eo Walæus.

ψ. 56. ἴσα.

Sensus non est testimonia inter se discrepasse (neque enim video quomodo id dici possit de testimonio sequente quo recitato idem repetitur) sed non tam gravia fuisse

AD EVANGELIUM

ut æqvarent votum Pontificum, qvarentium μαρτυρίαν non qvamvis, sed qvæ ad mortem valeret, εἰς τὸ θανατώσασαι ut ante dixit. Est ergò ἰση heic qvod Hebræi de testimoniis dicunt ושב ad probationem ejus qvod qværitur sufficiens. Nam qvod vir apprimè doctus dissidium testimonium in eo collocat, qvod alter testatus sit dictum δύναμαι καταλύσαι, alter κατέλυσα, mihi non probatur. Idem enim hæc significare arbitror, aut certè alterum altero includi. Nam Marcus qvi hæc ex Petri ore accepit, utriusqve testimonium recitat per verbum κατέλυσα.

Beza *Erasmus*, qvi in eandem sententiam reddidit, *satis idonea*, regessit, nusquam τὸ ἴσον se legisse hac significatione usurpatum. Sed nihil obstat, qvo minus ita explicetur hæc vox. *Discrepantiam* certè è Matthæo & Marco neqvicqvam probasse *Bezam*, qvam hïc notat Grotius, in aprico est.

ψ. 69. ἡ παιδίσκη.

Id est παιδίσκη τις, qvomodo articulum interdum sumi certum est. Nam aliam fuisse à priori Matthæus docet.

πάλιν ἤρξατο.

Omnino assentior iis qvi πάλιν cum ἤρξατο conjungunt, ut significetur iterum idem dictum Petro, qvomodo & Latinus interpretes videtur accepisse. Neq; terrere qvenqvam debet hac in parte codicum auctoritas : nam cum veteres libros sine distinctionibus scribi solitos satis constet, sequitur postea ex describentium judicio additas : qvare & nunc de illis judicium liberum esse debet.

Aliam fuisse dubitandum non est, qvia *Matthæus* asserit. Sed cum *illâ* etiam *prior* ostiaria, hac secundâ vice, Petrum compellavit; qvia *Marcus* de hac testimonium perhibet. Non verò in textu fas est qvicqvam immutare. Consentunt sanè Codices omnes : qvorum auctoritas posthabenda non est. Et si cuilibet liberum sit pro placito distingvere sacra scripta, qvi non errores inge-

ingeri, quæ non testimonia divina corrumpi possent? Lucas addit, & *alius videns eum* (Petrum) dixit. Num & hic corrupte la fingenda, quod *alium* pro *aliâ* dixerit? Annon quum Johannes testetur plures ei talia dixisse, præstat dicere Petrum plures compellasse, & inter illas personas tum *aliam* Matthæi, tum ipsam etiam *ostiariam* quæ apud Marcum est, quæ conservæ assertionem confirmans subjecit, *Et hic cum Jesu Nazareno erat*, tum *alium* quoq; Lucæ qui verba ancillæ excepit & Petrum ita convicit, *Et tu ex illis es*, quod ab aliis etiam confirmatum fuit. *Verisimile est*, inquit Lyranus, quod multi ad illa verba ancillæ concurrerint circa Petrum, & consimilia verba protulerint ad accusandum, undè factum, ut unus Evangelista unam personam notet, alius aliam, unam sc. vel plures.

CAPUT XV.

¶ I. Συμβόλιον ποιήσαντες.

Id est λαβόντες, ut Matthæi interpres loquitur. Nam sic & Marcus suprâ III, 6. locutus est, *συμβόλιον ἐποίησαν*, id est, consilium ceperunt, non ut quidam interpretantur, senatum convocarunt.

Pleriq; hîc, & *Matth. XXVII, 1. alium conventum summo manè institutum esse* censent: ut quæ nocte antegressa, in conventu Sacerdotum, ac Seniorum contractiori, gesta erant, ea mane in solenni omnium assessorum conventu publicè repeterentur, ac sententia mortis contra Christum lata totius Synedrii suffragiis comprobaretur. Grotio autem non videtur novus conventus institutus. Quo de ad *Matth. XXVII, 1. Συμβόλιον ἔλαβον*. *Tan-tillo temporis spatio discessisse tot senatores, iterumq; ex tot urbis regionibus convenisse, neq; credibile est, sine causa fingitur.* Sensus est, post auditum Jesum seorsim senatores inter se deliberasse quid esset faciendum. Ita *συμβόλιον ἔλαβον* alibi sumitur ut *captum consilium significet*. *Supra XII, 14. XXII, 15.* Hæc Grotius. Sed apud *Lucam* disertè novus conventus celebratus dicitur, *c. XXII, 66.* cui utiq; fides habenda. *Atq; ut illuxit συνέχθη τὸ πρῶτον συνέλευσιν* convenerunt seniores plebis, & principes Sacerdotum, & Scribae, & reduxerunt illum in concilium suum.

S. MARCI. c. XV.

ψ. 16. ἔσω τῆς αὐλῆς.

αὐλὴν hīc sumo, non pro subdiali, ut aliās sæpè, sed pro ipso prætorio, ut exponit Marcus. Sic & Matthæus Pontificis domum αὐλὴν vocat XXVI, 3. Sed & Latinæ historiæ scriptores prætorium solent vertere αὐλὴν. A tribunali ergò quod erat in stadio, ut ad Matthæum diximus, in partem domus interiorē abductus est Jesus.

Ideò verò in *medium aulae* vel prætorium, in quo aliās flagellatio non fiebat, abduxisse eum videntur, ut remotis turbis liberiorius ipsi illudere, ac libidini suæ satisfacere possent.

ψ. 25. ἦν δὲ ὥρα τρίτη.

Id est jam audita erat tuba horæ tertiæ, quod dici solebat donec caneret tuba horæ sextæ. Vide quæ ad Matthæum. Læctionis enim mutandæ causam non video, tanto Syri, Arabis, Latini consensu. Neq; verò per notas scriptos fuisse numeros in primigeniis codicibus ullo argumento constat.

Probandum hīc in Grotio, quòd textus corruptionem, quam alii imprimis Pontificii, utpote *Thomas Aquinas, Cajetanus* in h. l. *Sixtus Senensis* lib. VI. Bibl. annot. 131. *Melchior Canus, Dionysius Petavius* statuunt, non probat. Nam ubi consentiunt ex assè Codices Sacri, nec non Interpp. antiqui, nulla corruptelæ suspicio admittenda. unde nec *Wilhelm. Langii* opinioni locus, qui hīc pro **E** extritis binis inferioribus lineis **Γ** irrepsisse suspicatur, etsi simile quid legatur in *comment. in Psalm. Hieronymo adscripto*: quum probari nequeat, talibus notis scriptos fuisse numeros in textu originali, ut rectè hīc Grotius. Cujus tamen explicatio, de jam auditâ turbâ horæ tertiæ, fundamento caret, nimisq; laxâ ratione tempus definitum relinquit. Nam si intervallum illud *ab horâ tertiâ usq; ad sextam* designatum, quânam ergò propriè horâ crucifixus Christus? Et cum postea *horâ sextâ* tenebræ factæ dicuntur, v. 33. ac v. 34. *horâ* verò *nonâ* Christus clamârit, *Eloi, Eloi, num* etiam illic indefinitum aut in tantâ **πλάτῃ** designatum tempus

pus statuetur? Heinſius ita reddidit hæc verba : ἢν δὲ ὥρα τρίτη ἐπιύρωσαν αὐτὸν, Erat verò hora tertia, ex quo crucifigi cepit, vel, Tertia verò jam agebatur hora ex quo actus fuerat in crucem. Nimirum quando divisa vestes sunt : cujus actus mentio præcedit v. 24. καὶ ἐπιύρωσαν αὐτὸν διεμέρισον τὰ ἱμάτια αὐτοῦ : Quam explanationem pluribus probat Heinſius : quòd nempe hora tertiâ inde à crucifixione divisio vestium Christi facta dicatur. Quæ etiam fuit Marcelli Monachi Romani doctissimi ἐκθεσις, ut observavit R. Bai- lius. Planior est sensus ille, si ἐπιύρωσαν in plusquamperfecto accipiatur hoc modo : Erat autem hora tertia, postquam crucifixe- rant eum. Quomodo etiam exposuit Arabs mentem S. Marci : illud de tertiâ horâ, cum crucifixus esset, conjungens cum versu præ- cedenti, ubi de divisione vestium Christi, actum hoc modo : Id fa- ctum tertiâ horâ à crucifixione. Quò abire quoq; videtur interpre- ratio Persica : ex quo eum in cruce suspendierant : nec non Syriaca : quum crucifixissent eum. de quibus vid. Lud. de Dieu. Fortè etiam non incommodum fuerit, si dicatur hora tertia inde à traditione Pi- lato facta hîc designata : quam interpretationem eruditis expen- dendam reliquimus in Chronico nostro Biblico.

ψ. 28. καὶ μὲν αἰόμων ἐλογίσθη.

Agnoscit Grotius hæc ex Esaiâ c. LIII, 12. ubi LXX. habent ἐν τοῖς αἰόμοις ἐλογίσθη desumpta Agnoscit Christum prædi- xisse Luc. XXII, 37. hoc vaticinium in se implendum : Agnoscit totum illud vaticinium Es. LIII, de Messîâ accipiendū esse, idq; in Actis Philippum c. IIX. Ἔ veterem Chaldaicum Paraphrastem de Messîâ exposuisse. Mera ergò κωβεία ipsius Christi, S. Marci, S. Philippi, Ἔ Chaldaici textus interpretationi contraria est, quòd detorserit to- tum illud vaticinium ad Jeremiam Prophetam, quam σεβλότια ejus ad Es. LIII. prout par erat, castigavimus.

ψ. 34. ἐλωί.

Vetera Exemplaria non omnia ita habuere. Nam ἡλεί (quod idem est cum eo quod apud Matthæum ἡλί) ci- tat Eusebius. Et apud Syrum hoc loco est ܠܝܢ ܠܝܢ, sed haud dubiè transpositis à librario literis cum scribendum fuerit ܠܝܢ ܠܝܢ, ut ad Matthæum monuimus. Quòd au- tem

AD EVANGELIUM

tem in tam multa exemplaria illud ἐλωὶ hoc loco penetra-
verit, factum inde arbitror, quod sicut Lucæ Evangelium
initiò maximè celebratum est per Ecclesias à Paulo funda-
tas, ita Marci per omnem Babylonicam *Μεσοποταμίαν*, cui Pe-
trus præfuerat: ac proinde descriptum ab hominibus Sy-
rum sermonem callentibus, quibus notius erat *ܡܪܩܘܡ*
quàm *ܡܬܬܝܘܡ*.

Nulla codice probari potest aliter quàm ἐλωὶ lectum esse in
Marco. Eusebii citatio si è *Marco* facta, non *Matthæo*, vel memo-
riæ, vel librariorum ἀμάρτηματα potius habenda, quàm in suspicio-
nem corruptelæ textus Scripturæ vocandus. Illud verò Syri *ܡܪܩܘܡ*
argumento non est, quod Marcus non scripserit ἐλωὶ. Fortè Sy-
rus eam adhibuit vocem, ut eam exponeret per *ܡܬܬܝܘܡ*. Neque
opus est ut statuamus apud Syrum *ܡܪܩܘܡ* legendum esse. Nam et-
iam *ܡܬܬܝܘܡ* Syro receptum est, ut è *Pf. XXII, 20.* constat. Prono-
men autem affixum omitti censet *Lud. de Dieu*, quia id affixum et-
iam scriptum non solet pronunciarì à Syris: deinde quia etiam non
ubiq; adscribi solet. Quod verò inde suspicatur Grotius nomen
ἐλωὶ penetrasse in omnia illa, quæ habentur Exemplaria, vanum
est: Ita enim universalis statuenda foret omnium Codicum cor-
ruptio. Syriacè loquutus Christus fuit, quæ lingua ipsi familia-
ris erat, nec ignota Hierosolymis. In Syriaco autem textu *Psal-
mi XXII. 1.* habetur *ܡܪܩܘܡ ܡܬܬܝܘܡ* non verò *ܡܬܬܝܘܡ* aut *ܡܪܩܘܡ*. Expres-
sit ergò *Marcus* nomen lingvæ Christi familiari, quod *Matthæus*,
ut in Ebræo habetur textu, adduxit; quo, quantum ad hanc vo-
cem, Christus videtur usus, ut textum *Ebraeum* ceu authenticum
non planè præteriret, undè etiam nata est calumnia de vocato
Eliâ, quia in Ebræo est *Eli, Eli*. Quia verò placuit Christo etiam
uti dialecto consuetâ in hac exclamatione, atq; ideò adhibuit
vocem *Chaldeo-Syram ܡܪܩܘܡ*, ideò *Marcus* videtur etiam no-
men Syrum *ܡܪܩܘܡ* in commemoratione hujus dicti adhibuisse.
Nam *ܡܪܩܘܡ* Elohi suum etiam Syros habere, rectè contrà *Lud. de
Dieu* notat *Mart. Petr. Cheitomeus* in Græco-Barbaris n. 6. p. 65.

CAPUT

S. MARCI. c. XVI.

CAPUT XVI.

ψ. 4. Ἦν γὰρ μέγας σφόδρα.

ἔλειψις. Sensus enim est, quod commodè ipsis evenit, quia magnum erat saxum.

Nullà opus ellipsi : si verba (καὶ ἀναβλέψασαί γεωρεῖσιν ὅτι ἀποκεκύλισται ὁ λίθος) parenthesi includantur. Quod in Codd Græcis factum.

ψ. 5. εἰς τὸ μνημεῖον.

Non in specum, sed intra septum, ut ad Matthæum diximus,

ἐν ταῖς δεξιαῖς.

Super avoluto saxo.

De his vide quæ in *Annotatis Anti-Grotianis ad Matthæum* observavimus.

ψ. 7. καὶ τῷ πέτρῳ.

Ut rectè observatum Grotio è *Sirabone l. IIX. ῥῆμα* non infreqvens esse συγκαταλέγειν τὸ μέγαν τὸ ὄλω, idq; *fermè occurrere, cum in specie aliquid est eximii, ut Ps. XII, 1. 1. Reg. XI, 1. 2. Sam. II, 30. Act. I, 14.* ita non ideò hîc peculiariter nominatur Petrus, quòd *dux Apostolici cætus* fuerit, quemadmodum non modò Grotius, sed etiam *Baronius* Cardinalis opinatur. de quo verò axiomaticè Petri Scriptura nihil novit, sed quòd ipse præ aliis Apostolis insigniter lapsus peculiariter erigi maximè opus habuerit. Εξοχή illa in *prævaricatione*, & super eâ *contritione* quærenda est, non verò in *primatu Petri* : qui nihil ad rem facit. Rectius itaq; *Victor Antiochenus* in h. l. *Per hoc quod rei hujus indicium Petro vult fieri, admonet illos, eum qui propter negationem rejeclus videri poterat, nunc per ἔ propter pœnitentiam denuò assumptum, ἔ inter cæteros Apostolos æquè atq; ante rursus numeratum.* Similiter *Episcopus Romanus Gregorius Magnus* hom. XXI, in Marc. *Si hunc Angelus nominatim non exprimeret, qui Magistrum negaverat, venire inter discipulos non auderet. Vocatur ergò ex nomine, ne desperaret ex negatione.*

ψ. 14. ὕστερον.

ὕστερον non est postremò, sed deindè. Thucydides

H

μικρόν

AD EVANGELIUM

μικρὸν ὑπερον dicit, Plutarchus ὀλίγον ὑπερον, cum quid volunt paulò post factum significare. Ego totus assentior referentibus hæc Marci verba ad eandem historiam, quæ est apud Lucam XXIV, 36. Quare ὑπερον hîc parvi temporis intervallum significat, ut Matth. IV, 2. aut idem est αὐθις, ut interdum sumi solet.

Sic etiam habet *Lud. de Dieu*: *Syrus*, tandem, ultimò *Certum tamen est ex reliquis Evangelistis, quo & in doctissimo ad hunc locum commentario Cl. Beza agnoscit, non fuisse hanc ultimam Christi apparitionem. Maluit ergò Erasmus vertere postea. Ut & Arabs, post illud. Optimè. ὑπερον enim non semper postremo, sed & sæpè deinde, postea, significat, ut Matth. XXI, 32. & μετεμβλήτητε ὑπερον, non conversi estis deinde, postquam nempe vidistis publicanos & meretrices Johanni Baptista credere. Sic Job. XIII, 36. ὑπερον δὲ ἀκολούθησθε μοι, posthac me seqveris. Vide & Hebr. XII, 1. Matth. IV, 2. & alibi. Cœterum si retineatur illa vocis ὑπερον significatio postremò, non novissima Christi apparitio, die scilicet assumptionis facta, sed ultima earum, quæ die resurrectionis contigerunt, notabitur, quia illas Synopticè exhibere voluit Marcus, hinc docet quomodo πρῶτον primùm illâ die Mariæ Magdalenaë apparuit v. 9. quomodo item μετὰ ταῦτα posthac duobus discipulis visus sit v. 12. quomodo deniqve ὑπερον postremò, eâdem die, se stiterit undecim discipulis v. 14.*

ἀνακειμένοις αὐτοῖς.

In fine cœnæ, neq; enim repugnat intervalli & temporis ratio, ut ad Lucam patefcet. Videntur autem Apostoli ad convivia sua usi eodem illo cœnaculo, quo Christus postremò usus fuerat.

Rectius vertitur Græca vox *unà sedentibus*: Lucas habet *συνθηροισμένοις*: Johannes *συνηγμένοις*: poni enim *αἰὰ* pro *συν* rectè ostendit Beza. Et ita adhibetur hoc verbum *Marc. V, 40*. Contigit enim hæc apparitio circa multam noctem, quò tempore non oportuna fuisset cœnatio.

ψ. 15. καὶ εἶπεν αὐτοῖς

Toto scil. XL. dierum tempore tum in Judæâ tum
in

S. MARCI. c. XVI.

in Galilæa his de rebus illos est allocutus. Ideò mox com-
mate 19. subjicit $\mu\epsilon\tau\epsilon\ \tau\omicron\ \lambda\alpha\lambda\eta\sigma\alpha\iota\ \alpha\upsilon\tau\omicron\iota\varsigma$.

Non quòd toto illo tempore XL. dierum cum illis loqvutus sit, docet Marcus, sed tradit nunc quid in postremâ apparitione ipsis præceperit, ut è collatione *Matth. XXIIIX* constat. Et additur hîc, quid ipsis dixerit? Quòd nempè jusserit eos ire in omnem terrarum orbem prædicare Evangelium & baptizare, quòd utiq; non *toto illo XL diernm tempore* ipsis loqvutus est. Non hîc ea quæ in novissimâ diei resurrectionis apparitione ipsis loqvutus est, referuntur; sed transit jam Marcus relictis cæteris apparitionibus, Thomæ, & ad mare Tiberiadis factis, quæ ab aliis Evangelistis describuntur, ad eam *Φανερωσιν*, quæ *coram discipulis in monte quodam Galilææ* contigit.

$\psi. 16. \ \omicron\ \pi\iota\sigma\tau\epsilon\upsilon\sigma\alpha\iota\ \kappa\alpha\iota\ \beta\alpha\pi\tau\iota\sigma\mu\omicron\iota\varsigma$

Id est, qui non crediderit tantùm contemplativè, sed actu quoq; fidem istam professus fuerit. Nam corde creditur ad justitiam, ore fit professio ad salutem, *Rom. X, 10.* Hæc autem professio à solenni ejus exordio baptismus vocari solet.

Institutus est in hac oratione Christi solenniter *Baptismus*, ut è collatione *Matth. XXIIIX.* cum hoc loco patet, ceu *sacramentum & medium salutis*: non verò tantùm ut *professio fidei*: nam nisi quis baptizatus fuerit, eum regenerari non posse, jam ante professus erat Christus *Job. III, 5, 6.* sed hæc in *LL. CC. & Disputationibus* adversus Socinianos & Calvinianos.

$\omicron\ \delta\epsilon\ \alpha\pi\iota\sigma\tau\eta\sigma\alpha\iota.$

Qui non crediderit Evangelio, ita ut oportet scilicet, id est, cum sanctæ vitæ professione. Ita $\omicron\ \alpha\pi\iota\sigma\tau\eta\sigma\alpha\iota$ opponitur & credenti & baptizato.

Non repetitur hîc mentio baptismi, non quòd vox hæc opponatur & *credenti*, & *baptizato*, sed quia non eadem necessitatis est ratio, quantum ad *fidem* & *baptismum*. Quia *sine fide impossibile est Deo placere* *Ebr. XI, 6.* Adeoq; fides simpliciter necessaria est omnibus salvandis: non item Baptismus. Etsi enim hic medium sit *ordinarium* salutis, ad quod omnes adstringit Deus, uti olim ad
cir-

AD EVANGELIUM S MARCI. c. XVI.

circumcisionem adstricti erant Israëlitæ, tamen sibi non ligavit DEUS manus gratiæ, quò minus sine baptismo nobis gratiam & salutem conferre possit.

ψ. 19. ανέληθη.

Vocem hanc de Christi in cælum ascensione libenter Apostoli usurpant Luc. IX, 51. Actor. I, 2. II, 22. Paul. I. Tim. III, 6. Apud LXX, Elias dicit Elisæo II. Reg. II. 10. εὐὰ ἴδης με ἀναλαμβάνοντα ἀπὸ σῆ πρῆ. Propterea quæ iidem interpretes paulò post ἕνυ ascendit vertunt ἀνέληθη ad sensum magis quàm ad vocem respicientes, & erat inter Judæos liber veteres narrationes de Mosis corpore continens cui nomen ἀνάληψις Μωσέως. Nec omittendum de Eliâ dici ἀνέληθη ἕως εἰς τὸν ἕρανόν, I. Macc. II, 59. de Christo verò non tantùm εἰς ἕρανόν, ut hoc loco & alibi, sed εἰς ἕρανὸς Actorum II, 34. Eph. VI, 9. Colos. II, 1. I. Thes. I, 10. Hebr. VIII, 1. de quo discrimine egimus ad Matth. III.

Discrimen illic assignavit Grotius: *quod numero singulari ἕρανὸς ἀερεῆς, aut sidereῆς regionem Græci notent, plurali verò cælum supremum atq; inaspektabile designetur*: quæ differentia an perpetua sit, non disquiro. Quid verò ea hîc ad rem facit? num Elias solùm receptus in cælum ἀερεῆς, aut sidereῆς? annon de cælo supremo inaspektabili venit, quando cum Christo in monte visus est, Matth. XVII. Annon Electi omnes in cælum supremum, vel ut Paulus vocat *tertium*, suscipiuntur! Id utiq; passim Scriptura docet. Ideò *cum Christo sunt* I. Thes. IV, 17. & *coram throno Dei*, Ap. VII. Atq; hoc est quod optat Paulus: *Cupido dissolvi & esse cum Christo* Phil. I, 23. *Fac bone Jesu, ut cum quatuor animantibus in medio Throni æternum canamus* ἅγιος, ἅγιος, κύριος ὁ θεός ὁ παντοκράτωρ, ὁ ἦν καὶ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, Ἀμήν.



MI BOHNE, mens modesta, docta, singulis
Nobis amata & Numinis reverentior,
Dum singulares ingenii dotes tui
Rarasque sistis publico, quis abnuat
Hoc institutum prosequi votis piis?
Votum meum est, cedat bene atque prosperet
Patriæ, Tibi, Tuisque! Sic omnes habent,
Quod sibi congratulentur Optimi.

Constantinus Zigra / D. Acad. Rector.

CL. DN. RESPONDENTI Affini, & Amico dilecto.

Quæ Divus Marcus de CHRISTO nuncia lata
Tradidit, instinctu Flaminis ætherei,
Perpendis perquam studiosè, *Clare Magister,*
Dextrè perdoctâ, singula, mente docens.
Et cum sit magno, pervertere Grotius ausus
Plurima, conatu, non sine laude subis
Sacrum certamen: firmo bona corde tueris
Dogmata: confutans hæresin inde malam.
Gratulor egregios istos, doctosq; labores,
Ac precor ut porrò dirigat hosce DEUS.
Proderis hinc multum Patriæ, veræq; catervæ
Christiadam; tandem præmia JOVA dabit.

Abraham Calovius, D.

Magnos magna decent. Et quod sublimia tentat
Egregium merito creditur ingenium.
Est sublime satis quod; VIR CLARISSIME, tentas,
Res loquitur, quæ Te tanta decere docet.
Egregiè modò perge. DEUS benedicere pergat!
Venturo egregium tempore lumen eris.

Johannes Andreas Qvenstedt, D.

Ad Clarissimum atq; Præcimum

DN. M. MICHAEL BOHNEN.

Affinem & Convictorem honorandum.

Scripturam tractare sacram, secretaq; sensus

Divini rectè tradere, nobile opus.

Non nisi Theologiæ magno sudore paratur

Hic labor, hoc studium, & sedulitate precum.

Conflictos varios tenuis hac, PRÆCLARE MAGISTER,

Tute Reformatis, Papalibus atque Socini
 Causis ex verbo bella sacrata moves,
 Atque DEI nostri mysteria magna tueris,
 Ut pulchrum ingenium sedulitate colas.
 GROTHA nunc audes certamina magna subire,
 Textibus & sacris ponere vindicias.
 Perge per omne genus grassarier usque laborum
 Sacrorum, in Domino vincere cuncta potes.
 Det DEUS his ausis successus cælitus omnes,
 Et bene per Dominum dictio magna fluat,
 Floreat in Patria studiorum cursus ab omni
 Parte, Domoq; Patris gaudia mille ferat!

JOHANNES DEUSENBERGII D.

PRæfide CALOVIO, Grotium, Vir Docte, refutas,
 Qui Marcum impurâ tractat ubiq; manu.
 Leucorin hinc nostram felicem prædico passim,
 Vicinasq; scholas, quas sine fine docet.
 Vivat CALOVIVS grandævi Nestoris annos,
 Ac videat plures, & sine nube, dies.

Michael VVendelerus, Philos. ac SS. Theol. Doctor, & P.P.

ASCende nostri primæ cordis portio,
 Tuæq; langvor patriæ, langvor mee,
 Ejus future maximum quondam Decus
 (Sic auguramur) & perennis Gloria:
 Ascende trita sæpius proleptia,
 Hostemq; cæstu sternito novum gravi.
 Satis Picardis hæctenus ferocibus,
 Satis Socini, sat Latina Thaidos
 Datum est cohorti. Cuncta jam unico
 in Viro, (cio,
 Sternenda in uno cuncta jam sunt Gro-

Quæ vel Scotini traxit ex Orco furor,
 Vel Hydra secum Latia duxit, agmina,
 Vel pestilentis error Hermannii vagus,
 Vel quicquid es quam non ferendâ Ec-
 Deo dicatam factione distulit. (celsâ
 Non parva nisus hoc manebit gloria,
 Nec nulla merces, & vel ipse itrenui
 Vires docebit itratu Entelli Dares.
 Ascende Magni umbone tutus Præsidis,
 Nec hoste tanto viribus minor tuis,
 Ascende nostri primæ cordis portio!

Amica πρὸ Φωνῆς

SAM. BENEDICTI CARPZOVI.
 Pœf. Prof. Publ.

EXere sublimes fecundi pectoris artes,
 Quas Tibi cum Patriâ Leucoris alma dedit;
 Et scripturarum divina orâcla sacrarum,
 Assere, quæ GROTHII glossa nefanda petit.
 Sic animata Tuis hæc pulpita clara loquelis
 Concedent ausis altius ire Tuis.

Clarissimo DISPUTANTI, Amico suo plurimum
 æstimato, gratulab. f.

M. CHRISTIANUS Röhrenseer

05 A 2454

ULB Halle 3
004 545 567



Von





